Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Justus Christoph Schomer Nathanael Falck

Disputatio Theologica De Collegiis Privatae Pietatis

Rostochii: Richelius, 1685 [erschienen] 1686

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn788077619

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

RU theol. Sept. 1685

Schomerus, Just. Christ.

Universitäts Bibliothek Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn788077619/phys_0001

DFG

Q. B. V.

DISPUTATIO THEOLOGICA

De

COLLEGIIS PRIVATÆ PIETATIS,

Qvam

Annuente Deo opt. max.

Consensu Venerandæ Facultatis THEOLOGICÆ,

In inclytâ ad Varnum ACADEMIA

PRÆSIDE

JUSTO CHRISTOPHORO SCHOMERO,

SS. Theol. D. & Professore Publico, Consistorii Ducalis Assessore, Diœceseos Mecklenburgensis Superintendente, Facult. Theol. h. t. Decano.

SOLEMNI DISQVISITIONI

sistit

NATHANAEL Falck/Gedan.

A. C. M. DC. LXXXV. d. Septembr.

ROSTOCHII,

Imprimebat JACOBUS RICHELIUS, Ampliss. Senat. Typogr.

Bibliotheca Academica Rostochiensis.

Ex Bibliotheca Academiae Rostochiensis

Q. B. V.

DISPUTATIO PRIMA
DE
COLLEGIIS PRIVATÆ PIETATIS

Respondente,

NATHANAELE Falck / Gedanensi.

§. 1.

COllegium à collectione Varro derivat, cum *collegas* esse ait, qvi *unà lecti* sunt. Nos cum qvantitatem vocis respicimus, credimus à *lege* illam feliciùs deduci posse, unde & *legio* nata esse videtur, ut sit Societas legum, seu *legibus communibus instituta societas*, qvo sensu tã de singulari communione officii, qvàm de integro corpore politico, qvod ex pluribus membris componitur, apud bonos scriptores usurpatum occurrit, ut cum Tacitus *collegium filii*, Livius *consulum collegia* nominat. Unde tritum illud Neratii Prisci *l. 85. de V. S.* qvòd non nisi minimùm *tres faciant collegium*, æqvè minùs ex veterum sententiâ perpetuum est, qvàm hodie passim ipsâ praxi refutatur. Præcipuè autem vel de opificum societate, ut apud *Plin l. 34. c. 1.* vel eorum, qvi sacra ethnica suis ritibus celebrabant, vocem hanc apud Romanos usurpatam esse animadvertimus. Unde Tertull. *de Spectac. c. 7. qvanta præterea sacra — qvot collegia, qvot sacerdotia, qvot officia moveantur.* & *cap. 11.* apparatûs agonum idololatriâ conspurcari ait *de sacerdotalibus præsidiis, de collegiariis ministris.* Postqvam autem religionis ethnicæ auctoritas collapsa esset, vilescere paulatim nomen illud cœpit, ut *Isidorus l. 9. orig. cap. 4. Collegiatos* per sordidissimum genus hominum patre incerto genitum explicet. Qvorum etsi multa mentio in utroqve Codice & Theodosiano & Justinianeo, officium tamen qvale fuerit, ex nullâ lege satis intelligi potest, sed ab interpretibus aliis pro copiatis seu vespillonibus, ab aliis pro incendiorum extinctoribus publicè constitutis habentur.

§. 2. Qvanqvam autem & in aliqvo ecclesiastico usu vocem illam apud Christianos servatam esse haud negaverim, cum hodieqve apud Pontificios ac Canonistas *collegia Canonicorum & Jesuitarum* audiantur, &

ecclesiæ collegiatæ à cathedralibus & parochianis distinctæ, & in scholis collegia Professorum discipulorumqve ad lectiones privatas confluentium satis sint decantata; pro conventibus tamen fidelium ad communia sacra nullibi, qvod sciamus, usurpata occurrit, anteqvam nostro seculo *Collegiati* vel *collegiantes* (ut Belgicâ flexione nominantur) inter Anabaptistas exurgerent, & deinde *Collegia pietatis* apud nos commendari cœpissent, nisi qvis Latinum titulum *nov. justin. 132. de interdictis Collegiis hæreticorum* (cui tamen in Græco nil tale respondet) huc trahere velit. Sed cognatam ei vocem, (Varronis etymologiæ si stabitur) *Collecta*, passim eo sensu usurpatam esse constat, v. g. in historiâ veli Anablathensis apud Epiphanium ex versione Hieronymi: *ut ibi collectam tecum ex more ecclesiastico facerem*; unde & ipsum verbum *colligere* pro *convenire*, ut apud Tertullianum *lib. de fuga cap. ult. Sed qvomodo colligemus, inqvis, qvomodo dominica solemnia administrabimus?* & post pauca: *si colligere interdiu non potes, habes noctem.* vid. exempla alia apud *Du Fresne in Glossario, Bonam lib. 1. liturg. cap. 3. §. 2. Hug. Menard. ad Sacram. Gregor. p. 43. & alios.*

§. 3. Græcè vox illa variè reddita reperitur, per θιάσους apud Josephum & Philonem, unde collegiati θιασῶται in lege Solonis, qvam recitat *l. 4. ff. de Coll. & Corp.* & emendatiùs Cujacius, qvi videatur *lib. 7. observ. cap. 30.* redditur & per ἑταιρίας & retento nomine Latino per ἑταιρικὰ κοινήματα apud Dionem, per ζυσήματα ἑταιρικὰ in libris βασιλικῶν. Occurrit & φεγγικὰ, sed qvæ in malo sensu usurpatur *c. 18. Chalced.* At nec harum vocum ulla ad fidelium congressiones pertinet, sed semper fere in eum sensum occurrit ζύναξις, etiam Latinis freqvens, qvam pro alterâ, ζυναγωγῆ, Christianos efformasse, ut se à judæis distinguerent, non absre sentit Is. Casaubonus *exerc. cont. Bar. 16. n. 42.* Qvanqvam discrimen illud perpetuò observatum non esse, ex *Jac. 2. v. 2.* & *epist. 1. Ignatii* agnoscit, qvibus addi possent duo loca in epistolâ Dionysii, apud *Euseb. l. 7. hist. cap. 11.* aliusqve ipsius Eusebii *l. 9. c. 1.* nec non vox composita ἐπισυναγωγὴ *Heb. 10. v. 25.* ut contrà σύναξις de judæis dicitur apud Theophylactum in Matth. 28. Ubi non possumus qvin obiter notemus insignem Dionysii Petavii sive ἀβλεψίαν sive contradicendi libidinem in *not. ad Epiph. p. 350.* qvâ Casaubonum carpit, qvòd illam tantùm synaxin appellari dixerit, in qvâ mysteria sive Sacramenta celebrantur, qvi

tamen

tamen contrarium ſatis diſertè agnoſcit, laudato in eam rem etiam decantato Socratis loco *l.5.c.22.* πάντα τε τὰ τῆς συνάξεως γίνεται δίχα τῆς τῶν μυστηρίων τελετῆς. Qvando verò de hæreticorum aut ſchiſmaticorum conventiculis ſermo eſt, παρασύναξις dicitur, ut in ipsâ illâ Novellâ, qvæ *de Collegiis hæreticorum* Latinè inſcribitur. Et conveniunt ſanè παρασυνάξεις cum Collegiis materialiter, qvatenus reiteratæ ſunt illorum, qvi ſocietatem qvandam inter ſe fecerunt; non verò formaliter, qvaſi vel hac vel cognatâ συναγωγῆς voce unqvam collegium ordinarium directò denotetur, qvod qvidam putant.

§. 4. In Hæbræo idiomate nullam vocem reperimus, qvæ de collectione fidelium uſurpata, Latinè *collegium* ab interpretibus reddatur, aut commodè reddi poſſit. Qvi Hebræa vocabula ad Calepinum addidit, ſuppeditavit hæc כנוה · קהל & בית אספים qvorum primum & tertium etiam à Pagnino & Raphelengio per collegium exponitur: ſed ſatisne accuratè, eruditi viderint. Interim כנוה vel כנותא tanqvam peregrina & perſica vox (ut volunt nonnulli) non niſi de iis qvi templi ſtructuram impediebant *Eſræ.4.&5.* occurrit; qvam ergo facilius dimittimus. קהל verò creberrimi usûs eſt de congregatione qvâvis tam piorum qvàm impiorum, vid. vel *Pſalm.22.v.23.&26.v.5.* & præcipuè de totâ eccleſiâ Iſraëliticâ occurrens, v. g. *Lev.16.v.17.* Sed qvia à LXX. interpretibus plerumqve per συναγωγὴν & ἐκκλησίαν, qvandoq; per ὄχλον, λαὸν & πλῆθος vertitur, nec niſi ſemel per συνέδριον, & σύστασιν, ut ex concordantiis Kircheri patet, qvantum à collegio tali, qvale nunc inveſtigamus, differat in his ſignificationibus, mox oſtendemus. Deniqve בית אספים perperam per collegium exponi, eruditis ſatis conſtat. Qvæ Obed-Edomi filiis aſſignatur domus Aſuppim, *1.Par.27.v.15.* procul dubio eadem fuit, unde ablata ſunt aurum argentum & vaſa domûs, qvæ penes Obed-Edomum reperta eſſe dicuntur *2.Par.25.v.24.* adeoqve ærarium aliqvod templi, cujus locus qvodammodo ex *v.17.* citati *1.Par.27.* indagari poteſt: de qvo eruditè diſſerit peculiari (ſi rectè recordor) capite Joh. Lightfootus *Tr. de Templo*, domumqve fuiſſe cenſet duabus templi portis perviam ad extimum murum occidentalem, qvâ parte lateri meridionali cohærebat. Atqve ita nulla illi cum collegio analogia eſt. Alii huc accommodant בתי כנסיות qvarum apud Rabbinos mentio, & agnoſcimus ſanè illa Collegia verti poſſe,

 ſi per

& per hanc vocem, ut hodie frequenter solemus, eadem intelligas, sed nomen כנסת magis quàm קהל collegium denotare negamus. Alias voces, quas in Rabbinico lexico Buxtorffius hac nostrâ Latinè interpretatur, præterire placet, quod illarum usus vel non sit sacer vel manifestè huc non pertineat.

§. 5. Differt autem Collegium à Collectâ vel Synaxi primùm *morâ*, cum collegium suâ naturâ sit durabile, collecta autem magis transitoria: non quòd nec ad breve tempus collegium constitui possit aut constitutum citò abrumpi, neque etiam quòd collecta tantùm actum conveniendi significet, non verò & statum seu compræsentiam membrorum, ut Philosophi loquuntur, sed quòd nomine collegii confirmata certis legibus societas intelligatur, ut antè definivimus, ideoque regulariter ad plures uno actûs instituta. Differt deinde *relatione*, cum collecta possit esse omnium, collegium autem non totius universitatis sit, sed partis. *Wesenb. ad tit. ff. quod cujusq; univ. n. 2.* Differt denique etiam *formâ*, cum collectæ omnis ratio in unitate loci, collegii verò in juris vinculo consistat, ut etiam inter absentes continuari possit. Equidem & Paulus *1. Cor. 5. v. 4.* Spiritualis cujusdam synaxeos nomen injicit, quæ non corporis sed Spiritus sit: Συναχθέντων ὑμῶν καὶ τοῦ ἐμοῦ πνεύματος, *coactis vobis & meo spiritu*, & Dionysius l. c. ἀλλ' οὐδὲ τῆς ἀιδίου, inquiens. ἡμεῖς μέλλα τοῦ κυρίου συναγωγῆς ἀπέστημεν, *sed neque à sensibili synaxi cum Domino abstinuimus*, utique præter sensibilem & aliam dari intelligibilem innuit. Sed illæ metaphoricæ non propriæ significationis synaxes sunt, quibus hæc differentia, quam dedimus, non infringitur.

§. 6. Ab ecclesiâ differret collegium eodem modo, quo à collectâ, si illa vox antiquo sensu etiamnum æstimaretur, quo turbam quamvis non tantùm evocatam, sed & quovis modo confluentem significabat, ut *Act. 19. v. 40.* Unde & illud Dionysianæ Epistolæ: ὡς πλατύτερον ἐκκλησιάζειν δύνασθαι, *ut laxiores conventûs agere possemus.* At in eâ significatione, quâ hodie celebris est præeuntibus S. literis, & societatem ipsam fidelium denotat, quæ perpetua & in juris potiùs quàm loci communione posita est, ecclesia & collegium differunt ut generalis ac specialis societas, quòd collegium in ecclesiâ sit, non ecclesia in collegio. Quanquam si ad ecclesiam tantùm invisibilem respicimus, quæ reali potiùs quàm formali seu explicito mentis consensu cohæret, mutuus est utriusque, ecclesiæ & collegii, excessus, perinde ut visibilis & invisibilis ecclesiæ.

§. 7.

§. 7. Ipsa etiam vox Collegii usu hodierno est πολύσημος, dum jam pro domo, ubi convenire solet, jam pro societate convenientium ipsâ usurpatur, ut jam suprà innuimus: atqve ut societates non unius generis sunt, qvæ nomen illud sibi aptant, ita neqve domùs. Aliæ enim perpetuâ cohabitatione coire solent, qvales sunt pro Christianâ qvidem pietate societates ascetarum, qvi in ædibus, qvas vocant, religiosis vivunt, secularibus subducti negotiis, ut orationibus atqve exercitiis piis vacent, olim qvidem laudabili exemplo institutæ, atqve eo nomine ab ecclesiæ doctoribus commendatæ, postea autem ut solent omnia in deterius vergere, superstitione plurimâ defœdatæ. Atqve ita ipsa illa in qvibus vivunt claustra collegiorum nomine appellari, Jesuitæ suo exemplo probant. Aliæ societates inter absentes contrahuntur ad rariorem tantùm, si opus fuerit, congressionem, qvales ad pietatem excolendam promovendamve institutos communiter hodie *confraternitates* appellari solent, licet hoc vocabulum vel illo cognatum *confratria* qvondam in variis Galliæ conciliis pessimè audiverit, pro interdictis conjurationibus acceptum. vid. *de Fresne in Glossar.* Rarioribus hujusmodi congressibus si qvis locus aptatus esset, pari jure collegium confraternitatis appellari posset, qvo loco alia magis freqventata ita appellantur. Deniqve societates aliæ ad crebriores conventûs, nec nisi ad eum finem ineuntur, qvalia illa sunt Collegia, de qvibus in præsentiâ acturi sumus; qvarum sic etiam ædes collegia sunt, uti in Academiis auditoria.

§. 8. Non sine causâ hanc πολυσημίαν vocis distingvimus, qvandoqvidem diversa illa societatum jura ab eorum qvibusdam promiscuè æstimari animadvertimus, qvi pro privatarum congressionum jure scripserunt. Etenim institutum illud, qvod laudat Augustinus *de morib. eccl. cathol. cap. 31. & 33.* diversam à collegiis, in qvibus nunc occupamur, causam habet, & ad ascetas pertinet unà habitantes, uti consona sibi utroqve loco verba disertè docent, *cap. 31. in communem vitam castissimam sanctissimamq; congregati simul ætatem agunt*; & cap. 33. *vidi ego diversorium sanctorum Mediolani non paucorum hominum — Romæ etiam plura cognovi, in qvibus singuli — ceteris secum habitantibus præsunt.* Docetqve ipsa vocum connexio non aliud genus hominum hoc posteriore capite laudari, qvàm qvod priore altero commendatum erat, nisi qvòd istic magis ad orientales & Aegypti, hic vero ad occidentales respiciatur ascetas, qvo ab illis pris mos hic recentiùs derivatus erat.

Qvippe

Qvippe indicat, se *ideo* qvòd virtus clericorum in multiplici hominum genere viventium, nec sanatis magis qvàm sanandis præpositorum, sibi mirabilior videatur & majore prædicatione dignior, qvàm eorum qvos superiùs laudaverat, *tam laudabile Christianorum genus non contemnere*, eorum scilicet, *qvi vivunt à vulgari vitâ remotissimi*. Qvæ proinde ad alia collegia, divisim & sine aliâ, qvàm conventuum privatorum, societate habitantium trahi neqveunt. Nec aliud studium est, qvod Augustinus *lib. de bono viduit*, & Hieronymus variis epistolis dilaudant, qvòq; alias plures matronas exhortantur. Fuit enim tunc illud seculum, qvo hæc disciplina, ignota antea Romanis, ab exulibus Alexandrinis episcopis in Italiam allata (ut prodit *Hier. in epitaph. Marcelli*) magno cum fervore passim per omnem occidentem & excepta & propagata est. Qvæ tantum à collegiis distat, qvantum hodierni collegiati à monachatu absunt. Qvàm etiam fraternitas illa, qvam inter absentes qvidam circa annum huius seculi trigesimum erigere cupiebant, ab horum collegiorum ratione differat, ex delineatis ejus legibus *To. 3. consil. Wittebb. p. 119.* & responsis super eâ Academicis constat.

§. 9. *Privata* etiam & *publica* vocamus & collegia & synaxes nostras vario sensu (1) *ratione efficientis*, qvâ illorum, penes qvos potestas rectrix est, auctoritate vel instituuntur vel confirmantur tantùm, vel planè non nituntur, ubi ista & illa publica, hæc privata appelles. Uti autem regiminis datur subordinatio, ita etiam publici & privati nomina comparata sunt, ut qvod inferior potestas statuit, respectu superioris privatum sit, respectu eorum qvi ipsi subsunt, publicum: ita concilia & decreta provinciæ publica sunt singulis parochiis, privata ecclesiæ universæ: Sic ipsæ synaxes Christianorum publicæ Romanis privata poterant videri collegia, ut contrà respectu juris divini privatæ auctoritatis erat Romana idololatria, & totius etiam ecclesiæ instituta privata dixeris, qvatenus jure divino non nituntur. (2) *ratione partium componentium* seu membrorum, qvæ collegium constituunt, publicè propriè vocabuntur, qvæ omnibus patent, seu ad qvæ accedendi cuiqve relicta libertas est, privata, à qvibus præter illos qvi sigillatim illi adscripti sunt, reliqvi excluduntur. Qvandoqve autem & illa pro privatis habentur, qvæ à paucis freqventantur, publica qvæ à multis. (3) *ratione loci* publica solent vocari qvæ in locis publicis fiunt, uti templis, scholis, qvin & rure in viâ regiâ & apertis campis; privata, qvæ in locis & ædibus privatorum. Utroqve & hominum

num & loci nomine publicè se docuisse dicit Christus *Joh. 18. v. 20. Ego semper docui in Synagogâ & in templo, qvò omnes judæi conveniunt, & in occulto docui nihil.* In qvo utroqve sensu etiam comparationis varietas attendenda est, qvòd alio respectu idem locus hominumqve cœtus & publicus & privatus dici possit.

§. 10. Qvia autem hæc non nisi comparationis vocabula sunt, utiqve privatum nihil erit appellandum, nisi cum aliud intelligitur publicum esse debere, sicut nec publicum, nisi cui aliud privatum opponi potest. Sed qvia universitas hominum semper respectu singulorum publica est, privata tunc demum, cum majori alii subordinatur, & sic qvoq; communis cuiqve universitati locus, patet, qvòd omnes convocationes & omnia convocatorum collegia regulariter intelligantur publica esse. Præterea qvando ipsa universitas major, reapse tantùm ex minorum collegiorum numero constat, mente potiùs collecta, qvàm loco concluſa, ut provincia per civitates, populus per curias & ecclesia per parochias dividitur, singulariter qvidem singulæ spectatæ respectu universarum, aut illorum qvi à singulis ad comitia deputantur, dici possunt privatæ, absolutè tamen & citra hanc oppositionem non privata sed publica corpora atqve collegia appellantur, qvippe in qvorum societate ipsam totius populi vel ecclesiæ societatem atqve jura obtinemus; & qvæ privata vocantur, præter hanc publicam populi vel ecclesiæ divisionem introducta esse intelliguntur.

§. 11. Hæc si ad ea collegia applicemus, qvæ hodie extra communes & receptas ecclesiæ synaxes à qvibusdam commendantur, primùm qvidem incertum est, an ratione causæ efficientis illa privata esse velint, cum non magistratûs tantùm vel ecclesiæ auctoritatem ad eadem vel approbanda vel amplectenda sibi exoptant, sed & sunt, qvi divinam ipsis legem ac institutionem prætexunt: nisi fortè distinguant inter generalem & specificam institutionem, ut in genere qvidem collegia omnia pietatis publicâ auctoritate niti dicantur, non autem in specie, qvâ sunt talia. Magis verò partium componentium arctiorem numerum videntur respicere in hoc nomine, qvando Germanicè appellant einzelne Zusammenkünffte / secundariò autem & conditionem loci, cum vocant, Hauß-versamlungen. Interim ipsa res loqvitur, qvòd vel ob eam ipsam causam, qvòd præter parochiale vinculum, qvod ecclesiæ Christianæ publicum est, alio illa connectere volunt, privata appellari debeant, & dum

privata dicuntur, à parochiis eorumqve juribus distingui. Nam si ecclesias, qvas ἰδίας habebant presbyteri Alexandrii, juxta *Sozom. l. 1. c. 15.* & κατ' ἴδιαν juxta *Epiphan. in panar. hær. 69.* cum hisce collegiis comparare vellemus, jam non privatas societates, sed publicas divisarum parochiarum multiplicationes qværere videremur.

§. 12. Est autem qvi dubium movet, an ea qvæ sub directione Pastoris ecclesiæ, tanqvam publicæ personæ, celebrantur collegia, rectè privata vocentur, qvandoqvidem qvæ post diruta aut exusta templa in ædibus privatis instituuntur synaxes ecclesiæ, procul dubio publicæ sunt. Sed scire oportuit, qvòd has non à Pastore tantùm, sed & ab ecclesiæ seu parochiæ totalitate, & auctoritate superiorum publicas appellemus. Nam persona non facit actum publicum nisi ad qvem publicè constituta est, alioqvin omnes actûs pastoris essent publici non tantùm qvi sunt domesticæ pietatis, sed & qvi negotiorum qvorumcunqve. Qvin & iidem actûs, qvi à personâ publici vocari possunt, alio tamen respectu rectè privati dicuntur, ut v. g. communio ægrotorum: qvare non ergo collegium à Pastore institutum? illud verò magis dilutum est, qvod idem censor putat à materiâ, circa qvam in collegiis vel synaxibus occupati sumus, easdem publicas vel privatas dici debere, qvasi de publicis rebus privati sermones instituí neqveant.

§. 13. Etsi verò nec personarum nec objecti qvalitas qvicqvam facit ad privata à publicis collegiis distingvenda, non una tamen inde petitur illorum differentia. Nam etiam illa qvæ pietatis incrementa pro scopo habent non unius generis sunt, qvippe alia ad fundamenta pietatis jacienda instituuntur, nempe vel ad catechizandos rudiores, vel ad lectiones acroamaticas & qvæstiones Theologicas tractandas, qvas Scholarum nomine appellamus: alia ad media pietatis promovenda fiunt, ac in genere deliberativo versantia senatûs qvandam speciem referunt; qvalia fuisse indicta à Græcis Imperatoribus *silentia*, tum excerpta ex aliis auctoribus exempla, tum diserta Joh. Lydi explicatio apud Carolum *du Fresne* docet, Græcâ voce βελῆς & περὶ βεβουλευμένων istum conventum exponens, unde Silentiarii inter illustres senatores relati *l. 4. C. justin. h. t.* Alia ad ipsam ἄσκησιν seu exercitiũ cultûs divini pertinent, vel ut in hymnis, precibus, meditationibus & adhortationibus sacris subsistant, vel ut etiam ad Sacramenta dispensanda pergant. Sic & personarum conditionem,

qvæ

qvæ ad unum collegium coëunt, qvadruplici discrimine consideramus, vel enim id à Pastore ordinario indictum est, vel à magistratu, vel à patre familias in familia, vel à qvovis alio privato vicinos aut amicos colligente. Pro qvâ distinctione ut est distincta juris æstimatio, ita qvæ & cui privata pietatis collegia licita sint, nunc primo loco disqviremus.

§. 14. Inter omnia qvæ à scopo vel objecto proprio æstimantur benigniorem vulgò interpretationem habent, qvæ scholarum formam imitantur in catecheticis vel acroamaticis qvæstionibus docendis simpliciter occupata, dummodo heterodoxiæ non suspectus sit magister, aut leges qvædam publicæ obstent, qvæ ejusmodi doctorem non suæ fiduciæ sed aliorum approbationi subjici volunt, aut etiam ne publicis scholis per privatas aliqvid detrimenti accedat, non illaudabili qvandoqve solicitudine cavent. Facilius etiam laudabuntur confirmatæ privatâ societate deliberationes de conferendis optimeqve collocandis mediis, qvibus pietatis & Christianismi studium augeatur, dummodo qvod monet Aristoteles *1. Rhet. 4.* deliberatio sit τὰ ἐφ' ἡμῖν seu de rebus nostræ potestatis, v. g. de eleemosynis erogandis, stipendiis studiorum, ptochodochiis, scholis cum consensu episcopali fundandis atqve conservandis, legibusqve circa eadem condendis & rationibus examinandis. Qvæ non minore jure collegia pietatis dicerentur, qvàm montes pietatis apud Pontificios celebre nomen habent: cujus etiam generis fuere conventus qvondam à fraternitate novâ instituendâ, ut patet ex lege ejus XXXIIX. Dnn. Wittebergensibus oblatâ. Acriores communiter censuras experiuntur synaxes, qvæ precum & præcipuè audiendarum orationum seu (ut vocamus hodie) concionum causâ suis legibus privatim colliguntur: minùs defendi possunt, qvæ & Sacramentorum dispensandorum jus sibi sumunt. Neqve id mirum, qvia catecheticis aut Theologicis institutionibus synaxes publicæ non sunt dicatæ, scholæ ubiqve non erectæ, nec qvæ erectæ sunt, omnibus aptæ, plures tamen iis indigent, & proinde ubivis qværi possunt: ad deliberationes autem nec omnes vocari solent, qvarum tamen si effectus proprius laudatur, etiam ipsæ laudandæ erunt. Preces interim & meditationes divinæ cum & publicarum synaxium finis sint, & privatim etiam à singulis repeti possint, peculiaribus congressibus aut collegiis non videntur indigere: Sacramenti verò eucharistici, qvandoqve & baptismi, administratio lege publicâ ad publicas synaxes adstricta est, ut infrà pluribus ostendemus.

§. 15. Qvod ad personarum discrimen attinet, Pastorem qvidem ecclesiæ docendæ datum esse, non tantùm qvatenus ecclesia est, id est, publicè collecta, sed & ut curam in singulos divisam habeat, privatisqve adhortationibus, monitis, informationibus qvemqve, prout opus esse viderit, in bono confirmet & à malo revocet, non potest qvisqvam ullo jure dubitare. Ipse Paulus hoc exemplo præivit, ad cujus imitationem Ephesios ministros hortatur *Act. 20. v. 20. Vos scitis, ut nihil suffugerim eorum, qvæ essent in rem vestram, qvin annunciaverim vobis & docuerim vos publicè ac per singulas domos.* Et vers. 31. *propter qvod vigilate, memores qvòd per triennium nocte & die non cessaverim cum lacrimis monere unumqvemq;.* Et ad parem solertiam hortatur charissimum sibi discipulum & collegam Timotheum 2 *Tim. 4. v. 10.* Prædica sermonem, insta tempestivè intempestivè &c. Qvod idem sibi fidelis omnis ecclesiæ presbyter dictum putet, ut in omnem occasionem juvandorum eorum, qvi curæ suæ commissi sunt, invigilet, nullâ occasione officii etiam privatim utiliter impendendi neglectâ. Hunc finem habet retenta apud nos privata confessio, & vigens qvibusdam locis visitationis domesticæ institutum. Qvod autem & omnibus & singulis impendendum est officium, pariter qvoqve aliqvibus minore numero collectis rectè impendi, & sub generali notione ἀγαπήσεως & εὐνομίας etiam qvosvis fidelium conventûs privatos comprehendi, facili consequentiâ certum est, non tantùm cum aliâ de causâ conventum est, ut in ordinatione ecclesiasticâ, qvæ ap. Fritsch. *part. 3. jur. eccl. p. 243.* legitur, cautum est, *ut in conviviis qvà publicis qvà privatis curam adhibeat presbyter, qvò sacris potiùs qvàm profanis colloqviis hospites occupentur*; sed & cum ille discentium ardor est, ut facto qvasi agmine ad pastoris limina ultrò contendant. Hæc enim illa laus est, qvâ Ambrosium Augustinus & hunc vicissim Possidonius ornat, qvòd catervis hominum ad se confluentium inserviverint, & domi æqvè ac in ecclesiâ verbum Dei adversus hæreses prædicarint. Qvanqvam autem hæc ipsa nondum stata qvædam collegia, aut certam necessitatem definitis legibus illa condendi inferunt, eò tamen ut ab hac operâ officii progrediatur, evidentiorem causam & occasionem faciliorem habere potest presbyter qvàm qvivis alius. Congruum enim est, & ex voluntate divinâ necessarium, ut tanqvam fidelis in æde DEI minister, *1. Cor. 4. v. 2. seq. Luc. 12. v. 42.* qvi exactas rationes se Domino debere novit, aranti ubi non seminavit, & tollenti, ubi nil poluit, *Luc. 19. v. 15. seqq.* ad omnem promtus sit occasionem

nem arripiendam, qvâ animarum salus procurari potest. Itaqve si viderit esse in grege suo qvi longiore & exactiore informatione indigeant, preces & hymnos nesciant, qvi horas festorum & dominicorum dierum post publica sacra reliqvas rectè collocare ignorant, ipsum jus pastorale, qvo illis devinctus est, eum facilè movebit, ut hos peculiari collegio doceat, aut pia cum iis exercitia privatis curis ordiatur, siqvidem ita doceri & juvari velint. Est pastori scholarum inspectio regulariter demandata, cui non solâ illarum visitatione semper satisfaciet, sed qvandoqve & expletione defectûs, qvem in præceptore forsitan corrigere neqvit: qvomodo verò id faciet melius, qvàm si ipse vel extraordinarias horas vel ordinariarum partem pueris impendat?

§. 16. Magistratus (qvo nomine omnem civilem potestatem more loqvendi in scholis Theologicis recepto intelligimus) ad collegia pietatis & materialiter & formaliter talia instituenda optimum videtur jus habere. Nam & prodesse populo ad pietatem, inqve ejus salutem non minùs æternam qvàm temporalem sedulâ curâ invigilare debent, qvi ad clavum reipublicæ sedent, & postqvam ecclesiæ regimen susceperunt, optimè possunt. Etiam Reges docendi alios munus rectè subire, & ad pietatis profectûs tam operâ qvàm exemplo suo prodesse populo debere, exemplis Davidis, Hiskiæ, Josaphathi, Josuæ &c. satis constat, nec pluribus docere opus est. Tantùm id optamus ut paria ubiqve Christianorum magistratuum studia sint, aulæqve Regiæ precantium vocibus aliisqve piis exercitiis potiùs qvàm luxuriâ & profanæ impietatis tumultibus perstrepant. Regis qvidem & doctoris ecclesiæ officium diversum est, nec commodè in eandem personam potest combinari; qvò tamen major Regis est auctoritas & in familiâ & in omni populo, eò magis etiam ut auctoritatem illam in ipsarum salutem impendat eo qvo decet modo, & communi tum proximi tum patris fam. & proprio magistratûs nomine tenetur. Sic extraordinarii oratoris munus apud populum subibat Constantinus M. qvod qvale fuerit ex specimine illo, qvod reliqvit nobis Eusebius, *orat.* inqvam, *Imperat. ad Sanctorum cœtum*, videre licet; boniqve legislatoris, cum preces militibus præscripsit, teste *Euseb. l. 4. de Vit. ej. c. 20. & de laudib. ejus c. 9.* boni patris familias, cum qvandam velut ecclesiam Dei, seu εὐκτήριον οἶκον juxta *Sozom. l. 1. c. 8.* in palatio suo constituit. Qvam pietatem deinceps alii Reges ac dynastæ constructis domi qvisqve suæ sacellis atqve oratoriis privatis imitati sunt, qvibus presbyter præponi, qvandoqve

doqve & pro lubitu alius advocari solebat, qvi ad preces præiret. Neqve enim Reges aut Imperatores ipsos hoc sibi officii unqvam sumsisse legimus, ut & Constantinum ab exemplo qvidem imitationis, sed non assumti ministerii ecclesiastici in eo loco laudat Eusebius. Distincta qvidem illa pietas est à collegiis, qvæ extra familiam colliguntur, si tamen ex his institutis talia formaverint Principes, eò minus id habebit reprehensionis, qvò major illis apud nos est de rebus ecclesiasticis statuendi potestas. Olim qvidem in Galliâ episcopi qverebantur *de capellis Palatinis contra canonicam auctoritatem & ecclesiasticam honestatem inconsultè habitis*, & Carolus M. cavet, *ne capellæ in regio palatio alicubi sine permissu episcopi in cujus est parochiâ, fiant*, l. 5. c. 182. & l. 3. c. 14. Sed hodie inter nos qverela atqve cautio illa cessat, postqvam Principes sibi ipsis jura episcopalia asseruerunt.

§. 17. Patrisfamilias qvale sit officium datum ad liberos, eosqve qvi ministrant, ad qvotidiana pietatis exercitia colligendos, nulla est apud nos dubitatio. Datur illud encomium Abrahamo ab ipso DEO, *Gen. 18. v. 19. Qvòd præcepturus sit filiis suis & domui suæ post se, ut observent viam Jehovæ.* Agnoscitur ab omnibus, qvòd illa antiqvissima ratio sit cultûs divini, qvam patresfamilias domibus suis instituerunt, & illam ne credamus per publicas synaxes penitus sublatam esse, iteratis mandatis jubentur Patres filios beneficia atqve cultum DEI docere, *Ex. 12. v. 26. seq. cap. 13. v. 8. Deut. 4. v. 10. cap. 32. v. 46. Jos. 4. v. 21. seq. Psal. 78. v. 4. Es. 38. v. 19.* præcipuè verò *Deut. 6. v. 7. & cap. 11. v. 19. & acues illa*, vel ut aliis placet, *frequenter ingeres filiis tuis, cum sedes domi tuæ.* Qvod hodieqve ad nos pertinere, docet Apostolus *Eph. 5. v. 4.* cum præcipit *liberos in institutione & adhortatione Domini* educare. In qvâ filiorum voce rectè & famulos, vi correlati *2. Reg. 5. v. 13.* complectimur, uti Raschi qvosvis discipulos complexus est. Cumq; patrisfamilias familiæ suæ leges condere permissum sit, utiq; qvæcunqve domesticæ pietatis collegia qvis instituerit, jure suo feciſſe, & laudabili imitationis exemplo officium, qvo familiæ suæ obstrictus est, explere voluisse dicendus est, dummodo non aliunde illi vitium annascatur, v. g. ut perdatur tempus labori necessarium, qvod de Cromvellio etiamnum privato & aliis qvibusdam Angliæ fanaticis narratur, vel opiniones pharisaicæ aut novæ aliæ spargantur. De moribus primitivæ ecclesiæ hûc meretur legi *Joh. Frontonis Epistola de famil. Christ.* Sed de hisce collegiis nulla est disputatio.

§. 18.

§. 18. Pergimus ad privatos qvosqve extra familiam convenientes, qvibus & proficere aliorum colloqviis, & aliis pari operâ prodesse ad meliorem DEI cognitionem & pietatis exercitia mutuò incumbit. Præceptum divinum de domesticâ pietate *Deut. 6. v. 7.* ad colloqvia cum qvibusvis obviis extendi, non tantùm generalitas locorum docet, cum extra domum omni viæ aptatur, sed & ipse scopus, ut freqventer legem DEI ruminemur meditemurqve. Si enim illa ruminatio & meum est & socii mei officium eo ipso tempore, qvo unà versamur, non possumus uterqve illi nisi mutuis de eâ re colloqviis satisfacere. Sic & admonitionem suam Paulus *Col. 3. v. 16. Verbum Christi habitet in vobis abundanter, docentibus & commonentibus vos ipsos psalmis, hymnis & canticis spiritualibus, &c.* non de communi tantùm ecclesiæ synaxi, sed & privatis cujusq; studiis inter amicos conversantis, procul dubio intellectam vult, cum in omnibus iis, qvæ hæc verba vel præcedunt vel seqvuntur, privatos hominum mores informet. Qvod idem & perpetuo debito mutuæ operæ, *1. Pet. 4. v. 10. seq.* & operositate fidei ad oris professionem semper excitantis, *2. Cor. 4. v. 13.* rectè confirmatur, & si alia argumenta deessent, exemplis sanctissimarum matronarum, Mariæ ac Elisabethæ *Luc. 1. v. 42.* Hannæ, *cap. 2. v. 38.* Apostolorum *Act. 1. v. 14.* discipulorum in Emauntico itinere *Luc. 24. v. 12.* ipsius Christi, ib. & *Luc. 10. v. 39.* ac alibi passim, satis evinceretur. Qvod idem & veterum ecclesiæ Patrum votum fuisse atqve studium, comprobare pluribus supersedemus, cum illæ partes dudum ab aliis sint occupatæ.

§. 19. Sed uti hæc omnia apud nos in confesso sunt, ita cum causâ statorum collegiorum non debent confundi, siquidem id maximè qværitur, an illud commune Christianorum officium eò usq; producere liceat. Etenim agnoscimus non fortuitis tantùm congressionibus, sed & studiò qvæsitis mutuam illam οἰκοδομὴν urgeri posse & pro re natâ etiam debere. Uti enim qvodqve laudabiliter fit, ita etiam laudabiliter intenditur. In exemplis etiam sanctorum, qvæ adduximus, illum principalem, & unicum forte, finem fuisse conveniendi, ut piis colloqviis animi erigerentur, circumstantiæ omnes satis produnt. Permittunt & probant hujusmodi conventûs non tantùm sacræ sed & civiles leges. Nam conventûs, qvi ad finem bonum & honestum, seu ob causam licitam fiunt, non improbantur, nec indigent superioris veniâ, adeò ut licet expresso superiorum decreto prohibitum sit inire congregationes, causa tamen

men & intentionis bonitas excuſet coëuntes, ut latius tradit *Mevius ad jus Lub. part. 4. tit. 13. art. 1. n. 5. ſeqq.* Sed & illa ſic peculiari ſtudio mutuæ οἰκοδομῆς factæ coitiones amicorum à definitis ſuo ordine atqve lege collegiis differunt, qvæ inter easdem perſonas continuâ ſocietate coluntur. Illæ enim etſi pro multitudine hominum forſan rariores inter nos, non tamen per DEI gratiam omninò inſolitæ ſunt, qvarum etiam qvàm ſint freqventia exempla, vel eam ob cauſam, qvòd privata ſunt & tranſeuntia, ſine ſtrepitu ſine lege, minùs obſervari poteſt: hæc verò utut ſuâ naturâ magis debuerint innoteſcere, apud majores noſtros vix fando audita, noſtrâ ætate nova & qvàm pauciſſimis in locis vel tentata vel recepta ſunt, ac proinde diſputandi nunc materiam præbent.

§. 20. In Belgio poſtqvam ab Anabaptiſtis qvibusdam nova Collegiorum forma, ante annos non ita multos ferventiore partium ſtudio introducta eſt, qvæ ipſis Collegiatorum nomen peperit, reperti ſunt Amſtelodami etiam inter noſtræ confeſſionis ſocios, qvi illorum diligentiam ſibi in meliore ſtudio imitandam eſſe rati, privatas ſibi colligendi leges poſuerunt, ut qvâqve dominicâ poſt meridiem ad S. Scripturæ prælectionem, ejusqve & librorum ſymbolicorum exegeſin præviis precibus, deinde & ad diſputationum exercitia, ſi qvis exegetæ qvid opponere vellet, convenirent, omnes qvidem laici & opifices, ſed qvæſtiones Theologicas partim egregiè docti, ut multis eorum, qvi hanc ſibi diſciplinam propriam eſſe reputant, ruborem excuterent. Qvod inſtitutum ante decennium, cum id obſervaremus, Rev. presbyterio Amſtelodamenſi non diſplicebat, niſi eo nomine, qvod protracta hæc colloqvia horam aliqvam publicæ ſynaxeos interciperent. Anni jam fere viginti ſunt, cum Lubecæ motûs non leves orirentur à privatis collegiis, qvæ pro pietate, auctoribus qvodam Jacobo Taubio, qvi ob chiliaſmum presbyterio Arnhemenſi motus erat, & Joh. Tantovio Theol. Studioſo, inſtituebantur, qvæ voce ſcriptisqve Rev. Miniſterium ejus loci eò fortiùs repreſſit, qvò pluribus circumſtantiis peccabat, præſertim cùm & S. Euchariſtiæ ſibi privatam communionem hi homines indulſiſſent, qvanqvam apertè proteſtati, ſe ſchiſma nullũ parare, nec publicis ſynaxibus propterea minùs interfore. Diverſi generis ab utroqve horum, non efficiente tantùm causâ, ſed & objecto partim ac fine, ſunt Collegia pietatis, qvæ non ita pridem inter noſtrates ab iis erecta ſunt, qvi ipſi paſtores Ægregis conſtituti ſunt, cum domos ſuas vocarunt, qvi viam Domini uberius doceri, qvæqve publicè audiverant, privatim

vàtim ruminàri cupiebant, qvorum ràtio publicè delineàtâ primùm, mox & uberius alio ſcripto expoſita neminem poteſt latere. Qvæ poſtqvam publico ſilentio omnium Theologorum, plurium etiam privatis ſuffragiis probata ſunt, in ædes ipſas ſacras alicubi translata & publica exercitia facta eſſe annuente magiſtratu, accepimus.

§. 21. Forma ipſa generalis horum collegiorum omnium ſimpliciter & in ſe conſiderata, præciſis circumſtantiis alterantibus, reprehendi neqvit, qvaſi vel juri divino vel veteris eccleſiæ canonibus adverſa, qvibuscunqve etiam perſonis conſtet ſive laicis ſive clericis, ſive utroqve hominum genere. Qvia enim locorum temporumqve nulla definita lege DEI ſanctitas eſt, ſed omnis angulus, omnis hora, omnis numerus eorum qvi in nomine Chriſti conveniunt, ipſi ſacer eſt, *Matth. 18. v. 20.* utiqve aſſiduitas major, & continuatio in bono pactis firmata ipſi diſplicere non poteſt. *Volo*, inqvit Paulus, *viros orare in omni loco, 1. Tim. 2. v. 8. ſine ceſſatione, 1. Theſſ. 5. v. 17.* etiam *communi conſilio*, ut inqvit Chriſtus *Matth. 18. v. 19.* neqve differentia eſt maris aut fœminæ, ſervi aut liberi, in Chriſto JEſu, *Gal. 3. v. 28.* omnes ſe in domum DEI ſpiritualem, & ſacerdotium ſpirituale ædificare juſſi ſunt, *1. Petr. 2. v. 5.*

§. 22. Non obſtat (1.) libertati convenientium collegàrum jus pàrochiale, qvo qvisqve ſuo parocho & eccleſiæ adſcriptus eſt. Primùm enim ſacræ tabulæ de illo jure nihil ſanxerunt, Apoſtoli promiſcuè, prout ſe obtulit, occaſione utebantur, fideles vel omnes colligendo vel κατ' οἶκον dividendo, *Act. 2. v. 46. cap. 5. v. 42. cap. 13. v. 42. ſeq.* & qvanqvam κατὰ πόλιν presbyteros conſtituebant, *Tit. 1. v. 5.* & κατ' ἐκκλησίαν *Act. 14. v. 23.* illæ tamen eccleſiæ à naturali locorum diviſione & convenientium commoditate potiùs, qvàm ullâ certâ lege dividebantur, Synagogas plures in eâdem urbe nationibus plerumqve diviſiſſe judæos probabile eſt, tum ex *Act. 6. v. 7.* tam ex Talmudicis teſtimoniis & hodiernâ praxi, de cetero non admodum curaſſe videntur, ad qvam ſe qvisqve conferret, uti Paulus *Act. 9. v. 20.* Damaſci *in ſynagogis* promiſcuè pluribus legitur prædicaſſe; & Rabbini præterire ſynagogam orationum tempore permittunt, ſi plures ſint in eâdem urbe, qvo ſe videri poſſit præteriens conferre, *vid. Maim. Tephill. c. 6.* Unde ſi converſis fortè integris ſynagogis aut illarum magnâ parte ad eundem morem eccleſiæ ſub Apoſtolis diſtinctæ eſſent, nec fixa tamen illa fuiſſet diſtinctio, nec diuturna. Cum enim, ex qvo epiſcopi enati ſunt, in qvâqve eccleſiâ unum fuiſſe certum ſit,

qvod alibi probabimus, duorum autem in eâdem urbe episcoporum, qvos traditio ab Apostolicis temporibus derivet, aut nulla aut incerta sint exempla, necesse est omnes in qvâq; urbe factas fidelium collectiones maturè in unam ecclesiam coaluisse. Deinde postqvam freqventia hominum urbiumq; magnitudo iterum dividere ecclesias jussisset, nec idem tamen parochiarũ semper numerus, finiumq; definitio humano jure exactè observata est, tum qvòd nec molestiæ, qvibus subinde infestabantur fideles à gentilibus, id paterentur, ut sæpe in antris aliisqve locis remotioribus aut ædibus privatis synaxes celebrare pro ratione loci ac temporis divisas vel conjunctas oporteret; tum qvòd ipsi etiam episcopi pro festorum sollennitate vel suâ sponte vel ex populi voluntate divisas minores synaxes in unam majorem contraxerint, uti Athanasius factum suum apud Imperatorem eo nomine excusat *to. 1. op. p. 682. seq.* qvod præstiterit, populum magnâ vi id poscentem in ecclesiâ majore congregare, qvàm particulatim & divisim cum periculo pressionis, propter reliqvarũ paucitatem & angustiam. Neqve etiam intererat, ut strictè observaretur hæc divisio, cùm nondum præbendarum divisio facta esset, & clerici omnes ab episcopo ex oblatis aut dote ecclesiæ alerentur. Etenim ne qva plebs sine consensu episcopi ejus, cui hactenus adhæserat, peculiarem sibi rectorem vel episcopum crearet, nec presbyter plebi datus eò ambitionis aspiraret, ut se episcopo suo subduceret, cautũ esse legimus *c. 53. Cod. Afric.* sed finibus parochi perinde ut episcopi cautum esse non apparet. Primus ille Nannetensis Concilii in Galliâ rigor fuit, *ut parochus dominicis & festis diebus plebem interrogaret, si alterius parochianus in ecclesiâ sit, qvem si invenerit, statim inde ejiciat.* Sed omnis illa, qvæ ex eo tempore obtinuit, canonum observantia cum enatis ubicunqve collegiis privatis consistere potest. Illa enim exclusio alieni parochiani non aliam ob causam decreta est, qvàm ne qvis eam, cui adscriptus est, parochiam deserat. Id verò qvando non fit, sed publicæ synaxes suis locis freqventantur & sacramenta petuntur, ubi oportet, qvæcunqve præterea coluntur societates privati cultûs divini, de jure parochi nihil imminuunt.

§. 23. Non obstat (2.) pastori defectus aliqvis vocationis. Etsi enim illa ad parochiam tantùm adstringitur, ne ultra qvàm portio gregis ipsi assignata est, credat sibi qvium pascendarum curam jure peculiaris officii demandatam esse; non extinguit tamen adstricta illa vocatio specialis vocationem universalem charitatis, qva qvisqve Christianus alter

alte-

alteri tenetur, ut ad profectûs ſpirituales ſe mutuò adjuvent. Qvod ſi verò ex ſuâ tantùm parochiâ collegium ſibi fecerit paſtor, non communis tantùm ſed & ſpecialis vocationis atqve officii ratione id feciſſe poterit, uti ſuprâ §. 15. monuimus. Fruſtrà objicias cum Innocentio III. mandatum Chriſti *Matth. 10. v. 27. Qvod dico vobis in tenebris, dicite in luce, & qvod in aurem auditis, prædicate in tectis.* Neqve enim in hiſce verbis, contraria ineſt prohibitio, ne omnino liceat in privatis locis idem docere, qvod in publicis; ſed propterea publicè illa prædicari voluit Chriſtus, ne à qvoqvam ignorentur, qvæ eadem ratio etiam qvandoqve privatæ prædicationis eſſe poteſt.

§. 24. Non obſtat (3) idem vel probabilior vocationis defectus homini laico tales ſocietates colligenti. Ad inſtitutum enim privatum publica vocatio non reqviritur, ſufficit vocatio charitatis, qvâ qvisqve alteri placere ad bonum bonæqve actionis πρὸς οἰκοδομὴν auctor eſſe jubetur, *Rom. 15. v. 2.* Si qvis in tali collegio ſibi docendi jus peculiare aſſereret, ut eos qvi ipſum pro patre nec humano nec divino jure tenentur revereri, ab ore ſuo cuperet pendere, ἀλλοτριοεπίσκοπον rectè diceres, qvi contra monita Apoſtolica *Heb. 5. v. 4. & Jac. 5. v. 1.* ſe muneri non demandato ingereret. At qvi liberis, pupillis, famulis, clientibus eorumve familiis in privatam eccleſiam collectis hoc officium præſtiterit, jure ſuo agere dicendus eſt. Sic etiam qvi vicinis ac familiaribus norit neceſſaria religionis ſubſidia deeſſe, ad catecheticas vel S. Scripturarum prælectiones illos invitans, etiamſi, ut eò melior informatio ſit, continuatum collegium conſtituat, modeſtiæ fines non egreditur, cum charitati operatur. Ubi omnes pares ſunt, ſi qvisq; pro ſuo modulo ſymbolum conferat, aut ſi cui uberior ſcientia vel docendi precandive chariſma ſit, ut ſine ſtudio ὑπεροχῆς copioſiùs aliis in tali conventu diſſerat, nihil omninò peccatur. Conſtantinus Imp. apud *Euſeb. in vitâ ejus l. 2. c. 60.* ita præcipit: ὅπερ θάτερος εἰδέτε καὶ ἐνόησε, τούτῳ τὸν πλησίον εἰ μὲν γενέσθαι δυνατὸν ὠφειλέτω, *qvod qvisqve novit ac intelligit, eo proximum, ſi fieri poteſt, juvet.* Nam & laicus *qvi in his terris proëdriâ non honoratur,* verus tamen ſacerdos & eccleſiæ miniſter eſt, εἰ ποιῇ καὶ διδάσκῃ τὰ τοῦ κυρίου *ſi fecerit docueritq; qvæ ſunt Domini*, inqvit *Clem. Alexand. l. 6. Strom. p. 667.* In hac mutuâ operâ cum adoleſcimus, *commiſſura fit ſubminiſtrationis ejus, per qvam totum corpus eccleſiæ coagmentatur & compingitur*

ad incrementum ipsius nostramqve ædificationem, juxtà *Eph. 4. v. 16.* Gáudebant Apostoli cum audirent, & per illorum sermones atqve operam conversas esse gentes, qvibus prædicatio Evangelii peculiariter commissa non erat, *Act. 11. v. 23. Phil. 1. v. 18.* qvare non etiam gauderent presbyteri, cum talibus adjuvantur parochianorum exercitiis, qvibus non minimâ parte curarum levari possunt? *Peccant igitur haud leviter* (verba sunt *Aeg. Hunnii tr. 4. op. p. 604.*) *qvi ex præposterâ & perversâ æmulatione improbant conatûs eorum, qvi pio studio, doctrinam Evangelii propagare satagunt. Laudabilius & rectiùs Moses: utinam omnis populus vaticinaretur. Planè & Baptista Johannes suorum æmulationem compescit, Joh. 3. & Christus Jacobum & Johannem, qvi prohibere volebant eum, qvi in nomine Jesu dæmonia ejiciebat. Luc. 9.* Nec immeritò huc adducitur exemplum Augustini, qvi anteqvam ad presbyterium vocaretur, teste *Possidonio in vitâ ejus cap. 3.* laicus etiam *de iis qvæ sibi Deus cogitanti atq; oranti intellecta revelabat, & præsentes & absentes sermone ac literis docebat.*

§. 25. Non obstat (4) in iisdem laicis, sine presbytero tali exercitio vacantibus, præsumtus eruditionis ac ἱκανότητος defectus. Qvamvis enim non omnes capita fidei satis perfectè hauserint, vel S. literas intelligant, qvi alios docere conantur, alii etiam qvi rem ipsi probè perceperunt, alios docere apti non sint, sed promti sermonis flumine destituti qvandoqve & à sanioribus verbis aberrent; qvantum tamen qvisq; profecerit, ut cum aliis communicet, vel eo nomine salubre fuerit, ut mutui errores mutuis correctionibus emendentur, perinde ut pueri se Latini sermonis rudimentis alter alterum in scholis exercent, qvamvis nemo latinitatis veram habeat peritiam. Id si in vagis conventibus locum habet, ut agnoscunt omnes, nulla causa est qvare non & procedat in statis collegiis. Neqve etiam ea est S. literarum difficultas, qvæ obstet, qvò minus qvisqve etiam stupidior paulò inde per Spiritûs S. gratiam haurire possit, qvod ad salutem creditu & ad vitam rectè instituendam scitu necessarium est, uti contra Pontificios perspicuitatem hanc solemus asserere. *Et vos itaqve*, alloqvebatur plebem Christianam qvondam Chrysostomus, *si lectioni Scripturæ cum animi alacritate volueritis attendere, nullâ aliâ re præterea opus habebitis. Verus enim est sermo Christi cum dicit: Qværite & invenietis, pulsate & aperietur. Præf. in ep. ad Rom.* Plura tamen subsidia laicis suppeditabit freqventatio S. concionum, & libel-

libellorum Theologicorum lectio, qvibus plures per DEI gratiam satis attentè adhærent. Auctor epist. ad *Hebr. cap. 5. v. 12.* hanc velut indubitatam ponit hypothesin, qvòd illos, qvi jam ab aliqvo tempore Christianismi fundamenta hauserunt, *oporteat Doctores esse*, qvi alios possint feliciter informare. Si accuratior evolutio qvæstionum Theologicarum, si notitia idiomatis authentici aliorumqve ad interpretationem scripturæ reqvisita media ab unoqvoq; desiderentur, qvi cum fructu alios docere cupit, eqvidem vereor ut id argumentum contra solos laicos concludat, nec plures hodie parochos officio movere oporteat. Nihilominus ut cum Apostolo *1. Cor. 14. v. 5. Eph. 1. v. 17. Phil. 1. v. 9.* omnibus spiritum sapientiæ & profectûs cognitionis uberrimos esse optamus, ita etiam qvemqve, qvâ sit ἱκανότητι, se ipsum jubemus explorare, an & *peritus sermonis & moribus gravis* sit, qvod in laico docente *lib. 8. Constit. Apost. c. 38.* reqviritur, neqve in difficiliora, qvæ captum ejus superant, se immittat; sed discere potiùs à peritioribus, qvàm aliis non intellecta proponere sataget.

§. 26. Non obstat deniqve (5) jus episcopale, vel expectanda primùm auctoritas eorum, qvorum est, qvæ ad ecclesiæ bonum pertinent, ordinare: qvam ita religiosè solent multi prætexere, ut qvicqvam nisi ejus jussu in hisce tentare nefas esse arbitrentur, utut id ne fiat nullibi sit interdictũ. Agitur enim hic de re naturalis libertatis, qvæ unicuiqve salva esse intelligitur, donec sit qvi impediat, nec qvi jure & libertate suâ utitur, alii, nec ipsi superiori, facit injuriam. Agitur de re per se favorabili, nempe proximi ædificatione & exercitio pietatis, cui impedimentum à potestate superiore positum esse, non debet præsumi. Exercitii hujus licentia non pendet ab episcopo, vel eo qvi episcopi vicem supplet, sed immediatè à Deo, qvi nobis hanc gratiam fecit, ut ubiqve possimus de magnalibus ejus loqvi. Ergo siqvis nobis modus ad id videtur aptus esse qvo leges publicæ aut aliena libertas non convelluntur, non expectandum est, donec præsul id permittat vel jubeat, sed pergendum, donec sit qvi prohibeat. Agnoscimus hanc potestatem legislatoriam in ipso, qvâ prohibere possit, attamen qvicqvid ille legibus suis non complectitur qvi imperat, nostræ industriæ reliqvit. Qvo jure pater familias de domesticæ pietatis legibus disponit, nempe qvòd legibus publicis de eâ nihil definitum sit, eodem & vicini de vicinali seu collegiali pietate disponere poterunt. Pastor etiam ecclesiæ, cui officium publicum demandatum est, eò magis sibi & privati collegii jus peculiare datum esse concludet, qvò magis id officio qvod gerit, congruum est: &

ſicut Profeſſor in publicâ cathedrâ conſtitutus nullâ indiget peculiari vocatione aut indulgentiâ ad collegia etiam privata formanda, ita neqve Paſtor. Qvod rectè aliqvando in pari caſu objectum eſſe legimus. Multa cepere in veteri eccleſiâ, qvæ epiſcopos non habuere autores; & conſvetudine laudabili introductâ violari jus legislatoris nunqvam hactenus creditum eſt.

§. 27. At de legibus civilibus Romanis ſi qværitur, aliud omninò dicendum eſt. Non enim paſſim omnibus collegium habere conceditur; ſed legibus & SCtis & principalibus conſtitutionibus ea res coërcetur, *l. 1. ff. Qvod cujusqve univ.* unde diſtingvitur inter collegia, qvibus jus coëundi lege permiſſum eſt, & qvibus minùs, *l. 5. §. 12. de jur. immunit. l. 20. ff. de reb. dub.* & qvæ ſpeciali privilegio ſubnixa non ſunt, inter illicita referuntur *l. 8. C. de hær. inſtit.* qvæ publicâ auctoritate diſſolvuntur, *l. 1. & 3. ff. de Colleg. & Corp.* pœnâ eâdem propoſitâ, qvâ tenentur qvi hominibus armatis loca publica vel templa occupaſſe judicati ſunt, *l. 2. eod.* unde hodieqve omne collegium regulariter improbatum eſſe creditur, niſi conſtet de privilegio à poteſtate civili conceſſo, teſte *Brunnem. ad l. 1. ff. qvod cuj. univ. Mevio ad jus Lub. tit. 13. art. 2. §. 8.* qvod periculoſum habeatur ſub nomine religionis ſocietates coire, juxta *Decian. l. 7. pr. crim. c. 20. n. 7. & 15. & Farin. q. crim. 113. n. 244.* Nec multùm proderit cauſæ, qvod *l. 1. §. 1. ff. de Coll. & Corp.* legitur; *ſed religionis causâ coire non prohibentur*; cum ſtatim adjectum extet; *dum tamen per hoc non fiat contra SCtum, qvo illicita collegia arcentur*: ut intelligas neqve omnia religionis collegia his verbis permitti. Deſumta illa lex eſt ex inſtitutionibus Ælii Marciani, JCti ethnici, qvi vixit ſub Antonino Imp. ut patet ex *§. 2. J. de his qvi ſui vel al. jur.* qvo tempore diuturna pax Chriſtianis non fuit, ut ad illos tutò poſſit accommodari; ſed ethnicorum potiùs illa religio fuit, qvæ hîc indigitatur, diversâ conviviorum, ludorum, & ſacræ pompæ feſtivitate debacchata. Qvippe Collegiatis Vituriarii (ſeu Vidumarii, ut divinat Gothofredus) Nemeſiaci, Signiferi, Cantabrarii ἐξηγητικῶς apponuntur, *l. 2. C. Theod. de Colleg.* qvorum utut feſtivitates Chriſtiani qvandoqve permiſerunt, Epiſcopi tamen merito deprecati ſunt, *c. 63. & 64. Carthag. ap. Bevereg.* Si maximè etiam ad Chriſtianam religionem illa ſanctio pertineret, pro illorum temporum tamen conditione, non niſi libertas illius exercitio publico conceſſa eſſe potuit, qvalis religioni judæorum conceſſa à Chriſtianis *l. 9. C. Th. de judæis cœlic. & Samar.* & haruſpici-

ſpicinis ethnicorum *l. 9. de Maleſ. & Mathem.* Cujus indulgentiæ ex eo tempore multa facta eſt immutatio, ut generali axiomati limitationem nullam nunc affere poſſit, qvo ex *l.* etiam Ulpiani *11. ff. de extr. crim.* ſub prætextu *religionis vel ſub ſpecie ſolvendi voti cœtûs illicitos* (ſeu ſpeciatim non probatos) *nec à veteranis tentare oportet.* Unde & ad hanc legum prohibitionem provocavit *Rev. Min. Lub.* in der Chriſtl. Probe der neuen Schwermerey *p. 18.* ne ſcil. licita eſſe credantur, anteqvam à magiſtratu probata ſint.

§. 28. De jure canonico recentiore, qvod ſub invaleſcente Pontificis Romani monarchiâ introductum eſt, non eſt qvòd multùm ſoliciti ſimus, cum illud jugum, ubi grave viſum eſt, dudum excuſſerimus, retentis tantùm inſtar conſvetudinis iis, qvæ æqvitatem aliqvam aut favorem piæ cauſæ præ ſe ferunt. Qvæ enim collegia pietatis ab iis vel appeti vel approbari poterant, qvorum omnis in monaſticâ regulâ & externâ ad pœnitentiam impoſitâ diſciplinâ peregrinationum, verberum, ciliciorum, jejuniorum, roſariorum, deniqve miſſarum ſpectandarum pietas poſita erat? Qvi fide implicitâ populum contentum eſſe jubebant? Qvi veritatem à vocatione publicâ proponentis ita ſuſpendunt, ut ſatius ſit ſeqvi paſtorem errantem, qvàm alium recta docentem? Juxta *Bellarm. l. 1. de cler. c. 7. §. præterea hoc eſt*, qvi ne codicem qvidem Evangelicum ad ſolatium & confirmationem fidei laicis permittunt, & eos, qvi illum intra octiduum ad parochum non detulerint, ſpe etiam obtinendæ peccato veniæ excludunt? juxta *Marchant. hort. paſt. p. 1290.* qvi igne cremarunt eum, qvi publicè epiſtolam Pauli ad Romanos prælegerat? uti refert *Joh. Gerhardus Exeg. L. de Script. S. §. 491.* Non itaqve miramur reſcriptum Innocentii III. *cap. 12. X. de hæret.* qvi *cum in urbe & dioeceſi Metenſi laicorum & mulierũ multitudo non modica, tracta qvodammodo deſiderio ſcripturarum, Evangelia, epiſtolas Pauli, pſalterium, moralia Job & plures alios libros ſibi fecit in Gallico ſermone converti, ut ſecretis conventionibus ſibi talia prædicaverint*, illa conventicula ſibi cenſuit prohibenda eſſe, & *parochialium ſacerdotum* ſtudium *eos ſuper his corripere volentium* approbavit; ſi maximè nil ultrà hi homines peccaſſent, *ſacerdotum ſimplicitatem eludendo & conſortium illorum aſpernando*, qvod ipſis impingit. Apparent in hac conſtitutione non obſcura illorum principiorum veſtigia, qvæ ultra jus & fas prohibitionem collegiorum protrahunt; nempe qvòd *arcana fidei ſacramenta non ſint paſſim omnibus exponenda, qvòd rectè olim*

tim in lege statutum fuerit, ut bestia, qvæ montem tetigerit, lapidetur, ne videlicet simplex aliqvis & indoctus præsumat ad subtilitatem Scripturæ pertingere.

§. 29. Interim tamen nullum omnino collegium privatum pietatis ejus, qvæ nobis cordi est, Pontificios apud se pati vel passos esse non dicimus, qvi novimus qvantus monachorum, cellularum, oratoriorum, disciplinarum privatus apparatus apud ipsos ubiqve fuerit & etiamnum sit, qvem sine omni tali exercitio privato abire, probabile non est. Ipse *Baronius to. 1. Annal. ad a. D. 57. n. 162.* refert, non ita pridem tale collegium auctore Philippo Nerio Florentino & Francisco Mariâ Tarusio Politiano Romæ in oratio S. Hieronymi institutum esse, legibus, qvæ ab eo qvod in nostrâ ecclesiâ exortum publiceq; delineatum vidimus, parum discedunt, sed approbante Pontifice Rom. ut intelligas, sine ejus tamen approbatione tutò institui non potuisse.

§. 30. Hactenus de Collegiis privatis præcisè & secundum se consideratis diximus, qvatenus à circumstantiis alterantibus immunia sunt, & ab orthodoxis qvibusdam hodie commendantur. Circumstantiæ verò alterantes præcipuè duæ sunt hîc à nobis considerandæ, qvibus ab heteroclitis ingeniis peccatur, altera, qvâ licentia horum collegiorum etiam ad Sacramentum eucharistiæ privatim celebrandum extendunt, altera, qvâ se per hæc collegia publicis synaxibus & parochorum curæ subducunt. Licere laicis etiam spretâ communione publicâ, si nempe probabiles causæ inde avocent, sibi ipsis eucharistiam consecrare ac impertiri, contendit dissertatio, qvæ *ἀνωνύμως* edita est a. 1639. cujus etsi se auctorem Grotius profiteri non vult, qvòd contineat ea, qvæ ab ipsius mente aliena sint, prima tamen lineamenta à se profecta esse agnoscit *discuss. apolog. Rivet. p. 58.* Privatam talem communionem cum publicâ se rectè combinare, censuit Tho. Tanto, cum collegii sui causas peculiari libello pridē exponeret. Pontificii, qvi missas privatas in omni sensu & loci & temporis & populi adstantis & communicantium &c. licitas esse contendunt, vid. *Bell. l. 2. de Miss. c. 9.* & qvotidianâ praxi observant, duplici nomine ab his collegiatis differunt (1.) qvòd presbyterum tamen ad Sacramenti consecrationem reqvirunt (2.) qvod sacrificio suo imaginario contenti parciùs communionem urgent. Nos cum piâ antiqvitate, cùm ad publicam synaxin accedi neqvit, privatam qvidem communionem à presbytero administrari concedimus, v. g. cum qvis carcere clausus est, aut morbo detinetur, ut

apud

apud *Cypr. ep. 5. & Theod. hist. relig. c. 20.* qvæ posterior hodie tantò freqventiorem usum habet & contra Calvinianos asseritur, qvantò rarior facta est communio publica valentium. At ut citra talem necessitatem privatim fieret, ecclesia nostra nunqvam probavit, licet pudendi ejusmodi abusûs irrepserint passim, ut novæ hominum ambitioni privata sacra sibi appetentium obseqvatur presbyter, vel domi vel in ipsâ ecclesiâ extra ordinem, cum nullus adest cœtus fidelium, missas instituens. Qvem morbum dignâ censurâ vindivavit *Rev. D. Dichmannus, Bremensis nunc Ducatûs Generalis Superintendens*, approbante libellum facultate nostrâ. Ut autem in peculiari collegio ad hæc sacra ordinarium presbyter ministerium exhibeat, qvo duplici eosdem homines communione pascat, alterâ publicâ, alterâ privatâ, aut ut ipsi etiam laici sibi privatim eucharistiam conficiant, hactenus apud nos, qvod sciamus, inauditum est.

§. 31. Ipsum qvidem finem hujus Sacramenti si consideramus, planum est qvòd magis eucharistica communio, qvàm S. baptismi administratio ad publicum ecclesiæ conventum (siqvidem haberi potest) adstricta sit; qvippe qvâ non tantùm communio nostri cum Christo impetratur, sed & cum sociis membris externum symbolum, tanqvam aliqvod professionis nostræ & visibilis ecclesiæ publicum vinculum continetur, *1. Cor. 10. v. 17.* Christus ipse non singulis seorsim discipulis, sed omnibus junctim sedentibus has epulas instituit; Paulus etiam de vero usu hujus Sacramenti dicturus, totam ecclesiam Corinthiacam *convenientibus ipsis* qvomodo edere & bibere conveniat, docet *1. Cor. 11. v. 20. & 33.* cum contrà vulgares dapes domi velit sumi, *v. 18. & 22.* Qvi etiam mos tam solicitè observatus est in ecclesiâ veteri, ut & ad absentes ac ægrotos ex iis, qvæ in ecclesiâ consecrata sunt, eucharistica portio delata sit, teste *Justino Apol. 2.* & ipsi qvoqve presbyteri ab episcopo acceperint, qvæ in suis qvisqve titulis offerrent, sicut docet *Joh. Fronto, epist. de Philothes. vet.* Qvin & peculiari canone cautum est, *qvòd non oporteat in domibus oblationes fieri ab episcopis & presbyteris, c. 58. Laod.* Qvanqvam successu temporis ab hoc rigore remissum esse constat exemplo Ambrosii, qvem invitatum trans Tiberim apud qvandam clarissimam fuisse, ut sacrificium in domo offerret, narrat *Paulinus c. 4. vitæ ejus.* Nimirum cum & in episcopiis & in ædibus magnatum cœpissent extrui privata oratoria, qvibus domesticæ preces fierent, facile horum ambitioni adulatio episcoporum accessit,

sit, ut qvasi peculiaris parochiæ privilegio frueretur latior familia, Sacramentorum administratione istic non minùs qvàm in publicis ecclesiis concessâ. Repressa qvidem illa licentia aliqvando est *Nov. 58. justin.* sed mox secuta est canonum immutatio, ut saltim sine consensu episcopi missa aut baptismus ibi non fiat, *c. 31. Trull.* Leo VI. Imperator verò etiam sanxit *nov. 4.* qvòd qvisqve presbyter ad qvamcunqve ædem sacram ordinatus, sacra qvâlibet in domo privatâ qvandocunqve vocatus fuerit, recte celebret. Qvæ licentia fuit ad privatas Pontificiorum missas invitatio & progressus non levis, ideoqve à nobis minimè potest probari.

§. 32. Cum S. eucharistia ad publicam synaxin ecclesiæ adstringitur, facilius intelligitur qvòd à laicis administrari neqveat, nisi ipsum jus presbyterii cum Collegiatis anabaptistis in dubium vocaverimus. Oeconomum seu dispensatorem mysteriorum DEI se vocat Paulus, *1. Cor. 4. v. 1.* in qvo officio si illi succedunt parochi & presbyteri ecclesiæ, juxta *Tit. 1. v. 7.* utiqve non ad docendum tantùm, sed & administranda Sacramenta vocati sunt, & proinde œconomis illis publicè constitutis nemo debet impedimentum ponere, aut se officio illorum ingerere non vocatus. In privatis autem conventibus cum eucharisticum sacramentum celebrandum est, qvòd scil. aliter fieri neqveat, decet ut ab iisdem celebretur, qvibus publicè hæc potestas data est, ut eò magis cum ecclesiâ se cohærere, atqve ejus communia non sibi propria sacramenta participare intelligat qvicunqve participat. Cumqve presbyteri, ut suprà docuimus, non tantùm ecclesiæ qvatenus integra est, sed & singulis dati sint, jus officii ita erga singulos obtinere debent, ne ab aliis παροικίαις excludantur. Neqve est qvòd qvis se ritè vocatum esse credat etiam à parvo cœtu, qvamdiu ille majoris ecclesiæ pars eiq; obligatus est. Qvi enim alterius juri subest, proprio sibi jure presbyterum constituere neqvit: nec legitimus est in ecclesiâ DEI presbyter, qvi licet rectè vocatus, vinculum fraternitatis negligit, & solenni inaugurationis ritu ab iis, qvi publicè constituti sunt, in hujus muneris collegium non adsciscitur.

§. 33. Planè subscribimus sententiæ Tertulliani, *exhort. ad cast. cap. 7.* qvòd & laici sacerdotes sint, internâ nempe ἱερωσύνῃ apti ad qvævis ecclesiæ munia, & sic qvoqve ad eucharistiæ administrationem, ne putemus minùs verum Sacramentum fore, qvod laicus dederit, necessitate forsitan vel errore adductus. Es muß unser Glaube nicht auff die Person sehen / sie sey fromb oder böse / geweihet oder ungeweihet / be-

beruffen oder eingeschlichen / inqvit *Luth. to. 6. Jen. f. 100.* Differentiam tamen inter ordinem & plebem non ecclesiæ tantùm (qvod scripsit Tertullianus) sed ipsa Christi & Spiritûs S. auctoritas constituit *Eph. 4. v. 11. Act. 20. v. 28.* qvæ etiam servanda est. Casum necessitatis fingere non possumus, ubi presbyteri dantur & synaxes publicæ, præsertim cum moribundo non sit tanta Sacramenti necessitas, qvin sine ejus perceptione solâ fide salvari qveat. In publicis autem turbis, ubi ecclesiæ ordo disjunctus est, aut locis peregrinis, ubi inter infideles & heterodoxos vivitur, qvid liceat, gravior qvæstio est. Laico anachoretæ, ut seipsum communicet, rescriptum qvondam esse, ex *Fr. Combefis to. 2. auctar.* refert *Matth. Larrogue tr. Gall. de Euchar. part. 2. p. 300.* Qvale consilium etiam ille senex secutus esse videtur, cui in Sophronii limonar. narr. 199. ἐν τῷ ποιεῖν τὴν προσκομιδὴν *dum oblationem faceret*, angeli apparuisse dicuntur. Cum hoc consilio satis consentit Tertullianus *l. c. ubi ecclesiastici ordinis non est confessus, & offers & tingis & sacerdos es tibi solus.* Nam qvòd Albaspinæus contra Rigaltium, & Petavius contra anonymum Grotii fœtum verbum *offerendi* aliò torqvere cupiunt, si non phrasi, saltim scopo Tertulliani adversum est, ad characteris indelebilis privilegia exeogitatum, qvæ satis apertè Tertullianus destructum ibat, docturus, qvòd laicum æqvè oporteat continentem esse ac presbyterum, eò qvòd & ipse omnia presbyterii jura actu primo possideat. Nec improbabile est, eandem missarum celebrationem deFrumentio & Romanis in Indiâ mercatoribus, omnibus laicis, referre voluisse Theodoretum *l. 1. hist. eccl. c. 23.* qvicqvid etiam scripserit Ruffinus, cum vocibus soleamus uti in famosissimâ significatione. Arminiani tamen *Apol. fol. 251.* in tali casu, qvo vel cœtus vel Pastor haberi neqvit, hanc licentiam concedentes nostratibus vulgò non placent. Sed rectè Brochmannus distinguit inter casum, qvo nusqvam haberi potest ecclesia orthodoxa ministerio legitimo ordinata, & eum qvo tuâ sponte inde abes, *to. 2. System. L. de Minist. Eccl. c. c. 2. & L. de Cœn. Dom. c. c. 7.* & illo qvidem casu, si qvod est piorum hominum collegium, illud sibi rectè presbyterum constituere opinamur. *conf. & Rev. Minist. Lub. cont. Tant. p. 55.* & qvæ ex Luthero ibid. adduxit. *Tom. 6. jen. f. 275. & 309.* extantia.

§. 34. Multa autem sunt, qvæ objicit Tantovius, ut hanc licentiam laicorum collegio omni indifferenter asserat (1) promissiones privatis conventibus datas, *Matth. 18. v. 19. seq.* (2) generaliter omnibus

precibus datas, *Joh. 16. v. 23. 1. Joh. 5. v. 14.* (3) majorem, qvàm omnis hæc consecrandi potestas est, cuiqve credentium gratiam factam in Filio DEI & Spiritu S. dato, *Rom. 8. v. 32. Luc. 11. v. 13.* (4) generalitatem mandati: *Hoc facite in mei commemorationem, Luc. 22. v. 19. 1. Cor. 11. v. 24. 25.* (5) libertatem à loci, temporis & personarum observantiâ, *1. Cor. 3. v. 21. seq.* (6) antichristicum fastum presbyterorum, qvi per se solos gratiam conferri velint, & alios prohibeant, ut discipuli à Christo propterea reprehensi, *Marc. 9. v. 38. seq. Luc. 9. v. 49. seq.* (7) exemplum vel typum paschalis sacramenti à qvovis collegio vicinorum mactati, *Ex. 12. v. 6.* (8) qvotidianæ perceptionis Sacramenti vel necessitatem vel utilitatem, cui pauci ecclesiarum apud nos presbyteri non sufficiant. Qvibus omnibus fortè (9) qvis addere posset fractionem panis à fidelibus κατ' οἶκον factam *Act. 2. v. 46.* Sed hæc omnia uti operosè congesta sunt, ita facilè dissolvuntur. Qvippe (*qvod attinet ad 1. 2. & 4.*) promissiones & mandata generalia Christi non derogant ordini ad ipsius voluntatem institituto, sed illum includunt. Non seqvitur voluntatem Christi, nec ejus nomen rectè usurpat, qvi legibus honestis se subducit. *Qvod ad Tertium.* Divisiones ministeriorum sunt, nec corpus Christi unum membrum est, sed alia Pastoris alia ovis munia, *1. Cor. 12. v. 5. 14. 28.* Non omnibus data sunt charismata *ministrantia*, qvibus data sunt sanctificantia, & hæc tamen illis sunt majora: argumentum, qvod à minùs probabili ad majus ducitur in subordinatis essentialibus locum habet, in aliis certam conclusionem non format. *Qvod ad qvintum.* Omnis qvidem locus & omne tempus Deo sacrum est in se & ratione sui, sed ratione circumstantiarum aliarum non omne aptum est cuiqve actioni sacræ. Dedit id Christus prudentiæ humanæ determinandum: jus certè ecclesiæ non sustulit, cum legum condendarum illi liberam potestatem reliqvit *Matth. 18. v. 18.* secundùm explicationem Lightfootianam, qvam subordinare receptæ commodè possumus, opponere non debemus. *Qvod ad sextum.* Nec, qvod faciunt Pontificii, ab hominum dignitate veritatem Sacramenti, sed à bonis legibus legitimum ejus usum suspendimus. Æstimationem ecclesiæ non pendere à doctoribus, sed doctorum à profectibus ecclesiæ dixit Paulus, cum omnia nostra esse dixit. Qvid vero hæc ad laicam circa sacramenta licentiam? Non est illa res fastûs aut invidiæ, sed εὐταξίας, & firmioris membrorum unionis, si non de aliis qvàm præsidentium manibus eucharistia sumatur. Qvi præter seqvaces Christi discipulos dæmo-

dæmonia ejecerunt, extraordinariam immediatam vocationem peculiari charismate Spiritus S. evidenter docuerunt, ideoqve illorum causam non juvant, qvi nullo miraculo eminentes communibus tantùm sanctificantis gratiæ donis nituntur ad peculiare officium capessendum. *Qvod ad septimum.* De paschali agno certæ leges sunt divinitus constitutæ, cujus circumstantiæ ab esu sacramentali N. T. multùm variant: interim tamen in tabernaculo conventus, vel templo (postqvam id extructum erat) mactari debuit, *Deut. 16. v. 6.* nec nisi ministerio sacerdotum interveniente, *2. Par. 30. v. 16. cap. 35. v. 11.* *Qvod ad Octavum & Nonum.* Qvotidianum Sacramenti usum etsi praxi Veteris ecclesiæ consentaneum, necessarium tamen esse non agnoscimus: an *Act. 2.* per κλάσιν ἄρτου indigitetur, & non potiùs ἡ Διακονία καθημερινὴ, de qvâ *cap. 6. v. 1.* murmur extitit, ambigua conjectura est. Utilitas qvæcunqve ejus fuerit (de qvâ alibi fortè dicendi locus erit) tanta tamen non est, qvæ cogat receptum ecclesiæ ordinem deserere, aut collegium peculiare in eam rem ordinare.

§. 35. Alterum qvod circa hæc collegia sæpe observatur peccatum, est crimen schismatis, seu desertio publicarum synaxium sub singulari qvâdam vel sanctitatis vel purioris fidei specie, vel contemtu eorum, qvi illic colliguntur aut sacra administrant, vel ex pertinaciâ, qvâ se legitimis episcopis opponunt. De hac causâ loqvuntur omnes illi veteres canones, qvi contra collegia privata adducuntur, ut c. 31. (aliàs 32.) Apostolicus: *Si qvis presbyter contemto proprio episcopo seorsim collectas egerit, & altare contra altare fixerit, cum nullâ in re illum possit condemnare.* c. 10. eccl. Afr. *si qvis presbyter à proprio episcopo condemnatus, tumore qvodam & arrogantiâ elatus existimaverit se debere separatim sancta offerre.* c. 18. Chalced. *si qvi clerici vel monachi inventi fuerint conjuncti aut sodalitates facientes aut aliqvid struentes adversus episcopos.* nec non c. 6. Gangr. *si qvis extra ecclesiam privatam ecclesiam* (vel conventum) *celebrat, & CONTEMNENS ECCLESIAM qvæ sunt ecclesiæ agere vult. &c.* qvem canonem Zonaras de Eustathianis explicat, de qvibus videsis *Theodoret. l. 1. hist. eccl. c. 21.* qvorum etsi fortè causa ab initio melior fuit, qvàm novorum Antiochiæ episcoporum, qvi injustè depositò successerant, & Arianismi accusabantur; qvia tamen hæresin hanc publicè non docuerunt, auctoritati publicæ illos approbanti qvemcunqve privatum dolorem post habendum esse Patres censere potuerunt. De iisdem

procul dubio etiam loqvuntur c. 2. Antioch. *non licere in domibus convenientes cum iis orare, qvi non cum ecclesiâ orant.* & 5. *si qvis presbyter vel diaconus proprio contemto episcopo ab ecclesiâ se separaverit, & privatim congregationem effecerit, & altare fixerit, & episcopo accersente non obediverit.* Similiter & decantata constitutio Arcadii & Honorii Impp. *l. 15. C. just. de episc. & cler. Conventicula illicita etiam extra ecclesiam in privatis ædibus celebrari prohibemus:* rectè explicatur ex *l. 37. C. Theod. eod. nec proscriptionis periculo domûs careant, qvas episcopos vel clericos peregrinos post publicationem edictorum & nostræ serenitatis adfatûs probabitur suscepisse, pari formâ servandâ, si qva domus cives clericos nova ac tumultuosa conventicula extra ecclesiam celebrantes susceperit.* Ejusdem enim constitutionis utramqve epitomen esse ex subscriptionis tempore constat, cum utraqve dicatur data: IV. KAL. SEPTEMB. CP. HONORIO VI. ET ARISTENETO COSS. Unde apparet non adversus hæreticos hæc dicta esse, de qvorum conventibus *l. 3. utriusq; C. de hæret.* agit, sed adversus illos qvi orthodoxi erant, qvibusqve præter tumultûs inordinatos nihil objici poterat, ut iisdem consulibus publicatæ leges *4. 5. & 6. C. Theod. de his qvi sup. rel. cont.* confirmant, qvarum hæc postrema ita sonat: *Rectores provinciarum moneantur ut conventûs eorum* (alii legunt *johannitarum*) *arceantur inliciti, qvi ORTHODOXORUM RELIGIONE SUFFULTI spretis Sacrosanctis ecclesiis aliò convenire conantur, his qvi ab Arsacii, Theofili, Porfyri, reverendissimorum sacræ legis antistitum communione dissentiunt, ab ecclesiâ repellendis.* Qvæ ipsa verba & aliæ de inqvisitione ob incendium factâ, *cit. l. 37. de Ep. & cler.* ut & temporis circumstantiæ satis docent, qvod illi johannitæ hic notentur, qvi exilio Johannis Chrysostomi commoti (qvem odium Eudoxiæ Imperatricis sede suâ bis expulit) cum ejus successore Arsacio aliisqve cum illo sentientibus communicare noluerunt. Qvæ omnis historia latè enarrata legi potest apud *Socrat. l. 6. à cap. 6. ad 20. & Sozom. l. 8. à cap. 16. ad finem usqve libri.* Et eo sensu verum est, qvod notavit ad *l. conventicula.* Dionysius Gothofredus, vocem *etiam* hîc implicativam esse, qvæ plus involvit, qvòd scil. tam in ecclesiâ qvàm extra illam communicatio cum Joh. Chrysostomo, & omnis propterea institutus conventus ab Imperatoribus interdictus sit.

§. 36. Cum autem nemo sit, qvi dubitet schismatis crimen magnum esse, cujus Apostolus arguit Corinthios, *1. Cor. 3. v. 3. & cap. 11. v. 18.* & in omnibus exortis dissidiis semper qvisqve hujus nominis invidiam à se amo-

amoliri fategerit, culpâ alteri parti impositâ, exorti sunt nostro seculo Independentes, qvi criminationis hujus materiam facilè omnem tollere conati sunt, cum sublato parochiarum vinculo congregationales (ut vocant) ecclesias pro cujusqve lubitu erigi & dissolvi permitterent. Princeps hujus sectæ Joh. Owenus peculiari libello, Anglicè conscripto, naturam schismatis expositurus, illud per *ruptuam unionis à Christo institutæ* definit, *p. 81.* itaqve cum distinctio unioq; parochiarum non procedat à Christo, neq; schismaticos esse concludit eos, qvi se illi subjicere nolunt, *p. 260. seq.* Et non eo tantùm casu, qvo ecclesia abundans multitudine impiorum reformari neqveat, sed & cum ex qvocunqve ejus nævo cultam hactenus communionem illius sibi qvis putet ampliùs non æqvè prodesse ac qvævis fortè alia possit, qvemqve sui juris esse, ut prout visum fuerit sibi peculiarem ecclesiæ societatem colligat, *p. 261. seq.* neqve ecclesiam, qvæ charitatis regulam ritè observat, renuere petenti liberum discessum debere censet, *p. 257.* utut fortè utraqve pars peccet, si alter se simpliciter stare in hac communione non posse putet, altera nec dimittere discessurum velit, *p. 258.* Qvorum omnium conseqvens est, posse fideles, qvippe nullo juris vinculo adstrictos, pro lubitu in qvam velint ecclesiam convenire, sibiq; verbi & Sacramentorum ministrum creare. Similia problemata proponit *Lud. Molin.* Oweno ὁμόφρων *paræn. ad ædif. imp. cap. 16. p. 454. seq. & p. 458.* Magis etiam infensi parochiis earumq; legibus sunt Qvakeri, ut videre licet apud *Franciscum Howgil de glor. veræ eccl. cap. 6.* sed qvorum indomitus spiritus per varios diversorum locorum conventûs licentiosiùs vagatur, ubi sui similes reperit, non magis collegio certo qvàm parochiæ adhærens.

§. 37. At non intelligunt viri, etiam illud institutum Christi, vel præceptum potiùs divinum esse Christi incarnati ætate anterius, ut pareamus legibus etiam humanis, *Rom. 13. v. 1. 1. Pet. 2. v. 13.* & qvæ semel publicâ auctoritate constituta sunt boni ordinis causâ ne convellamus, *1. Cor. 14. v. 33.* Eqvidem fieri potest, ut sit in parochiâ presbyter constitutus, cujus homiliæ ad bonum ecclesiæ non ita institutæ sint, ut oportebat, qvi pro aureis fidei morumq; præceptis, inanes profanarum historiarum aut otiosarum qvæstionum stipulas afferat; uti ineptos tales concionatores, dolor! non omninò nunqvam observamus, qvibus qvid in ecclesiâ proferant, parùm cordi est, dummodo ne taceant. Fieri etiam potest, ut licet parochus satis utilia proferat, vel voce tamen vel dialecto, vel proponendi

nendi modo pro cujusq; captu minùs intelligibilis sit, qvàm alius qvisqvam. Fieri potest, ut & ipse receptus ordo sacrorum publicorum non non sit è re parochiani, si v. g. tempus omne, qvod psalmis fuisset & hymnis impendendum, organorum musicorum pulsus & latinorum vel minùs intellectorum hymnorum artificiosa decantatio occupet. Ibi verò si in viciniâ habeas ecclesiam aliam, cujus & pastoris sermones sint salubriores, & cantus captui & pietati auditorum accommodatior, non debent leges parochiales ita rigorosæ esse, ut peccare illum arbitremur, qvi istuc se conferat, unde major fructus est: sed nec parochiam, cui qvis adscriptus est, penitus propterea deserere vel necesse vel integrum est. Conf. *D. Stryk. ad Brunnem. jus eccles. p. 296.* Planè si qvod interest parocho & ecclesiæ præstetur, vel actûs tamen, qvibus ejusmodi causa objici non potest, aut rariores qvàm ut expetitum ab alienâ parochiâ profectum multùm morentur, ut Sacramentorum perceptio, nuptiarum & funerum solemnia, in propriâ parochiâ celebrentur (qvanqvam nec in his ubiqve juris rigorosa observatio est) juri parochiali satisfactum esse arbitramur. Nec tam indignari illi, qvi alium audire malit, qvàm causam ejus, siqvidem potest, tollere corrigendo qvod in se est vitii, parochum decet: Si verò extra publicam ecclesiam novum collegium meliori profectui qværatur, ejus horam talem esse oportet, qvæ publicam synaxin parochiæ collegis non impediat. Nihil itaq; est qvo schismatis crimen à se amoliri possit, qvi levi de causâ planè communicare cum parocho orthodoxo noluerit. *Ne relinqvamus collectionem nostram, ut qvibusdam mos est*, salutare monitum est, *Hebr. 10. v. 25.* qvo non illi notantur, qvi ad judaismum deficiebant, qvod excipit Owenus, sed qvi segniores erant ad παροξυσμὸν ἀγάπης καὶ καλῶν ἔργων, & exercitio veræ religionis segniùs instabant, juxta *vers. præced.* qvorum contrarii sunt οἱ παρακαλοῦντες, qvi se mutuò ad conventûs tales & exercitia pietatis adhortantur. Non de seqvendâ tantùm viâ fidei, sed & acriter urgendâ Apostolus hortatur, & his qvidem desertores ἀποστασίας, illis verò apostatas opponit, ita ut versus 26. versui 22. & versus 25. versui 24. respondeat. Agnoscit Owenus *p. 43.* schisma, qvale Apostolus damnat, esse cum membra unius ecclesiæ inter se dissident sine causâ: annon ergo majus schisma foret, si planè discesserint à se invicem, & communionem sacrorum mutuâ ampliùs habere nolint? Certè ad illam rem non debet qvævis causa nobis satis gravis videri: nec Apostolus ad discessũ à se mutuò faciendũ hortatus est Corinthios, cum vitia syn-

axeos

axeos ipsorum reprehenderet, qvibus etiam factum erat, ne communis fidelium utilitas qværeretur; sed in unum convenientibus, qvid facto opus esset docuit, *1. Cor. 14. v. 26.*

§. 38. Est autem locus qvidam Lutheri in libello Germ. de ordine missæ *to. 3. Jen. f. 278.* qvi pro Sacramentis in privato collegio administrandis adduci solet; reverâ autem magis pro desertione publicarum parochiarum loqvitur: Die dritte Weise / die rechte Art der Evangelischen Ordnung haben solte / müste nicht so öffentlich auff dem Platz geschehen/unter allerley Volck/sondern die Jenigen/so mit ernst Christen wollen seyn / und das Evangelium mit Hand und Mund bekennen / müsten mit Nahmen sich einzeichen / und etwa in einem Hause alleine sich versamlen/zum Gebet/zu lesen/zu täuffen / das Sacrament zu empfahen/und andere Christliche Werck zu üben. In dieser Ordnung kund man die/so sich nicht Christlich hielten/ kennen / straffen/ bessern / außstossen / oder in den Bann thun / nach der Regel Christi *Matth. 18.* Hæc verba qvo pertineant, non aliunde magis qvàm ex iis, qvæ immediatè præcedunt, intelligi potest, ubi illam missam, qvæ hodie celebratur publicè in ecclesiis, perinde se habere dicit, ac si inter infideles sacris nostris operaremur, cùm in promiscuâ plebe, qvæ ad templa confluit, multi sint, qvi Christiano nomine sunt penitùs indigni: Daß sie öffentlich in den Kirchen für allem Volcke gehalten werden / darunter viel sind / die noch nicht glauben oder Christen sind / sondern das mehrer Theil da stehet und gaffet / daß sie auch etwas neues sehen / gerade als weñ wir mitten unter den Türcken oder Heyden auff einem freyen Platz oder Felde Gottesdienst hielten. Denn hie ist noch keine geordnete und gewisse Versamlunge / darinnen man kundte nach dem Evangelio die Christen regieren / sondern ist eine öffentliche Reitzung zum Glauben und zum Christenthumb. Ursit Zelum viri ad acriorem hanc invectivam obversans animo crassâ ignorantia elementorum fidei, qvæ eo tempore plerosqve occupaverat, non nisi theatricas pompas & ignotæ linguæ preces in papatu spectare doctos: nec minùs urserunt mali mores plerorumqve, qvi etiam qvod meliùs docti erant, praxi non exprimebant, ut in tantâ multitudine impiorum veræ ecclesiæ facies ampliùs discerni neqveat, & jam non in segete lolium, sed inter lolia seges absconditur. Invitavit facies atqve disciplina veteris ecclesiæ, qvæ qvàm sanctissimum servare omnem gregem annisa est. Id ergo agit, ut qvâ ra-

tione ad pristinæ splendorem sanctitatis reduci hodieqve ecclesia possit, nobis exponat: si nempe exclusis iis, in qvibus fervor vivæ fidei non comparet, Christiani denuo, ut olim factum, clausis valvis colligerentur, qvò nemini, nisi qvi probatus esset, aditus concederetur, cujus rei à parvulo cœtu initium faciendum sit privatis in ædibus conveniente⁊. Ita verò qvæ nunc est publica ecclesia, pro verâ ecclesiâ habenda non esset, qvippe ad Christianissimum demum ducenda, sed qvæ sic privatim colligeretur vera & veris Christianis publica fieret; huic excommunicationis, huic Sacramentorum jus competeret. Non ergo distinctas in ecclesiâ Christi minores societates, non nova in parochiis collegia expetebat vir optimus; sed indignos Christiano nomine excludere voluit, ut parvulus Christi grex purior dignosceretur. Qvod magis dispalesceat, si ad causas illas attendamus, qvæ ab hoc ipsum consilio absterruerunt, nempe defectum numeri ad eam rem necessarii, & metum schismatis. Aber ich kan und mag noch nicht eine solche Gemeine anrichten/denn ich habe noch nicht Leute und Personhnen dazu/ so sehe ich auch noch nicht viele/ die dazu dringen. Item: In des wil ichs bey den gesagten zwo Weisen lassen bleiben/ — auff daß nicht eine Rotterey darauß werde/so ichs auß meinem Kopff treiben wolte. Non verisimile est sanè, adeò defuisse Luthero socios, qvi Christianam fidem seriò amplecterentur, ut cum illis in privatum collegium conveniri non posset, qvod etiam à tribus vel qvatuor viris institui poterat; aliud testatur historia ejus temporis: sed derat numerus eorum, qvi à promiscuâ plebe sic discerni & separari cuperet, qvi ecclesias ita separatas concursu suo auctaturus esset, ut veræ Christi ecclesiæ à scoriis purgatæ formam nanciscerentur, & non omnis hic conatus in donatismum aut schisma abiret fidelium. Itaqve reverâ hisce verbis ad schisma aliqvod seu discessum à malis & indignis faciendum promtus erat, schisma tamen inter Christianos fideles cavere, & propterea ab hoc consilio abstinere maluit: neqve, opinor, nobis multum causæ est, ut aliter de illo consilio sentiamus nostro tempore⁊.

§. 39. Postqvam de eo qvod licet vidimus circa privata collegia, proximum est ut & de eo, qvod oportet, dispiciamus. Reperimus enim esse, qvi illa non pro re adiaphorâ habent, qvæ civili potestate possint prohiberi; sed jure divino necessaria esse censent, & qvoad rem & rei modum, ut nec magistratuum edictis inde absterreri oporteat, qvandoqvidem Deo major debetur qvàm hominibus obedientia. Viri cujusdam clarissimi

hanc

hanc aliqvándo ſententiam fuiſſe, peculiari libello propugnatam & occaſio ſcriptionis & omnis ſcribendi methodus facilè oſtendit. Qvod autem ab aliis excuſatur, pro argumento liceat accipere, qvòd rectiora monentibus ceſſerit. Lubecenſium qvondam collegiorum apologeta profitebatur ſe conſcientiæ causâ ab incepto deſiſtere non poſſe: Wir können nicht zuſagen/ daß wirs ſo wollen hinfüro unterlaſſen — hiedurch würden wir in unſern Gewiſſen verſtecket werden. Excuſat qvidem alios, qvòd ſine jacturâ fidei ab illis collegiis abſtineant, qvi nondum ſatis perpenderint dictum Chriſti, Matth. 18. & in hâc qvidem ignorantiâ non peccare illos ait abſtinendo, ſe autem poſtqvam vim ejus dicti percepe-rint, Spiritui S. ſe oppoſituros eſſe in ſui perniciem, ſi ſe paterentur ullo periculo abſterreri: Können den Heil. Geiſt hierin nicht wiederſtreben — wir würden ſonſt erfunden werden als die wieder GOtt ſtritten zu unſerm eigenem Verderb und Untergang/ welches kein vernünfftiger Menſch von uns begehren wird: ehe mögten ſie Leib und Leben/ Gut und Blut von uns fodern/ als ſolche gefährliche Zuſagen. Ubi obſervandum, non loqvi illos generaliter de omni privato colloqvio pietatis, qvod & nos fatemur à magiſtratu inhiberi non debere; ſed ſpecialiter de formatis collegiis, qvaliter ab ipſis inſtituta erant.

§. 40. Præcipuum qvæſitæ hujus neceſſitatis & tantùm non unicum fundamentum ponitur in promiſſione Chriſti *Matth. 18. v. 19. 20. Rurſum dico vobis, qvòd ſi duo ex vobis conſenſerint in terrâ de ullâ re, qvamcunqve petierint, fiet illis à patre meo, qvi in cœlis eſt. Ubi enim ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Qvibus verbis Chriſtus de arctiore conventu loqvitur, qvàm qvi eſt totius eccleſiæ, cujus mentionem fecerat v. 17. illiqve & præſentiam gratiæ & preeum exauditionem liberaliſſimè promittens, qvantopere illo delectetur, oſtendit. Conſtat autem apud nos qvam ἐθελοθρησκία DEO diſpliceat, ex *Col. 2. v. 13. Matth. 15. v. 8. Deut. 4. v. 12. cap. 12. v. 32.* Unde concludendum videtur, qvòd nihil gratum ſit, niſi qvòd & mandatum, & ſic hæc qvoqve promiſſio privatis conventibus facta ſimul mandatum illorum contineat. Sed & ne ad ſparſos tantùm & fortuitos conventûs, qvi pro datâ occaſione fiant, hæc adſtringamus, ad ſpecificam ipſam determinationem attendere juvat, cum iis promittitur qvi συμφωνήσαντες ex prævio conſenſu coiverunt, ſine qvâ tamen etiam generalis ac indeterminata oratio de omni ſpecie concluſiſſet. Qvia verò qvod Deo gra-

tum est, non satis urgeri potest, nec nimia in eo diligentia offendi, juxta monita Apostoli, *Col. 1. v. 10. 1. Thess. 4. v. 1.* porro videtur concludi posse, qvòd in isto consensu continuare, atqve sic justis collegiis rem urgere oporteat. Qvippe *qvæcunqve vera, honesta, justa, pura, accommoda sunt, qvæcunqve boni nominis, si qva virtus, si qva laus, hæc cogitate, Phil. 4. v. 8. & qvi noverit rectè facere & non facit, peccato tenetur, Jac. 4. v. 7.*

§. 41. Sed in hoc genere argumentationis duo nobis præcipuè sunt observanda (1.) qvotupliciter qvid mandatum dici possit? (2.) qvotupliciter qvid DEO placeat? Mandatum qvid est vel secundùm generalem vel secundùm specialem sui rationem: mandato generis satis fit qvâcunqve specie, & placet sic species non in ratione specificâ sed genericâ, v. g. in mandato laboris, qvod generale est, continetur virtualiter omnis honesti opificii species, non tamen opificium unum magis qvàm aliud eligere jubemur, nec cum opus fabrile facimus, placet DEO eo nomine qvod fabrile est, sed qvod opus est. Ita collegia pietatis divinitùs mandata sunt, non qvatenus determinatè collegia sunt, seu statorum conventuum societates, sed qvatenus simpliciter conventûs privati ad honorem DEI & pietatis incrementum facti, & eò etiam nomine placent. Deinde placet qvid etiam vel propter se vel propter aliud: propter se placent DEO virtutes morales cum perfectæ sunt, qvippe qvæ æternam bonitatem habent, propter aliud placet qvid duplici modo, primò propter ejus imperfectionem, cum defectus qvi actui inest, dissimulatur ac remittitur propter meritum Christi, agente jam per fidem in gratiam recepto; qvâ de re nunc non agitur: secundò propter indifferentiam ejusdem, cum actus vel res qvæqve ad id qvod per se bonum est ordinatur, magis vel minùs, qvo specialiorem vel generaliorem ad illud ordinationem habet. Sic & conventûs privati non placent ratione sui, qvatenus hominum coactiones sunt, sed qvatenus pietatis uberius incrementum, tanqvam finem suum respiciunt. Qvi finem autem præcipit, præcipit media, sed qvatenus ad finem reqviruntur; ubi plura dantur, neqve Deus speciatim aliqvod præscripsit, officium facit, placetqve eo nomine, qvi unum eligit: at qvi in hoc laureolam ponit, qvòd ex paribus mediis hoc potiùs qvàm aliud elegerit, mox in ἐθελοθρησκείαν incidit, rem indifferentem pro cultu divino æstimans.

§. 42. At, inqvis, inter plura media id tamen eligendum est, qvod

ad

ad propositum finem maximè prodest, atqve ita stata & perpetua collegia necessariò præferenda sunt vagis illis privatis pietatis exercitiis, qvòd opus DEI fervidiùs urgeant, & saltim qvia optima, etiam imperata. Sed respondemus, multa, qvæ abstractè considerata optima dici possent, pro circumstantiarum tamen diversitate optima omnibus non esse. Magnis & inexplicabilibus animum nodis involveremus, si qvodvis bonum institutum ad extremum diligentiæ gradum sub periculo peccati velimus urgere. Ita ipsi talium collegiorum auctores possent argui, qvi bis per hebdomadem conveniunt, qvòd non qvater, & qvi qvater, qvod non qvotidie conveniant, qvi duas horas illi impendunt, qvod non sex impendant. Abstractè enim si rem consideres, major semper assiduitas in promovendo bono proximi magis laudanda esset. Sed valetudo corporis, succedens languor animi, negotiorum moles, aliorum mediorum pro eodem fine commodior sæpe occasio, etiam sibi aliqvid deposcunt, & ab hujusmodi institutis aliqvando liberè, aliqvando etiam necessariò avocant. Ista verò si justam excusationem afferunt, qvò minùs eum qvem cupimus diligentiæ apicem occupemus, afferunt & magistratuum prohibitiones, qvibus libertas nostra circumscribitur. Propter humanas leges qvidem non licet negligere officium à DEO præceptum, ipsam scil. sui & proximi per privata colloqvia οἰκοδομὴν; sed qvæ nostro arbitrio eligimus ejus rei media cedunt legum istarum auctoritati, qvamdiu alia supersunt, qvibus eundem finem obtinere possumus, utut non omnem illam utilitatem afferant, qvam speras ab eo, qvod prohibitum est. Vota etiam DEO nuncupata solvit ex divinâ permissione pater, maritus, dominus, *Num. 30.* ut intelligamus neqve sub specie religionis subtrahi qvicqvàm debere obedientiæ superioribus debitæ. Præterea cum auctoritas civilis potestatis certa sit, sperata ex re tali, qvæ prohibetur, utilitas sæpe est incerta. Etenim & vaga colloqvia cum obviis aut singularem illorum causam præbentibus suâ naturâ magis prosunt tum ad dilatandum charitatis officium, tum ad occurrendum ruditati aut erroribus aliorum, qvàm stata cum iisdem amicis collegia, qvi præsumuntur eâ fide atqve charitate jam fervere, ut mutuâ adhortatione minùs indigeant.

§. 43. Jam qvod ad ipsum locum πολυθρύλητον attinet *Matth. 18. v. 19. seq.* concedimus qvidem promissionē ejus ita esse generalem, utad omnis generis conventûs Christianos rectè applicetur, uti ad privatos ac domesticos illum applicuere libri nostri symbolici, *p. 329. 393. & 672.* & ad publicos

p.345.&353. at verò scopum Christi illo loco fuisse, ut præter publicas ecclesiæ synaxes etiam privata collegia vel conventûs institueret à nobis frequentandos, omnino negamus. Dilucidiùs id patescet, si totum sermonem Christi à 15. versu, cui hæc promissio subnectitur, diligentiùs consideraverimus. Molinæo quidem *paræn. c. 16. p. 452.* videtur versus 18. cum præcedentibus planè non cohærere, sed alius ibidem institui sermo; unde nec decimus nonus cohærere posset: & fatemur qvòd in Evangelistis verba Christi carptim referentibus, & ut fit in sermonis compendio, qvæ diversâ occasione dicta erant, sibi sæpe immediatè jungentibus, connexio textûs tam solicitè semper urgeri neqveat, qvàm in epistolis Paulinis aut aliis scriptis. Ubicunqve tamen particulas connectentes & indicia alia qvæ produnt argumenti ejusdem persecutionem, manifestè observamus, iisdem etiam inhærere oportet. Docuerat Salvator præcedente parabolâ *v. 12.* qvòd ad exemplum Patris cœlestis oporteat & minimi fratris curam fidelem atqve assiduam gerere, si à recto tramite aberrasset, ut in viam reducatur. Pergit hinc qvòd & illum, qvi nos offendit, pari solicitudine complecti oporteat, & iteratis admonitionibus ab ingenio malo revocare. An illa determinatio objecti εἰς σέ ad specialem aliam, aut generalem tantùm scandali offensam pertineat, non multum attinet disqvirere, pro hac militat nexus sermonis cum iis qvæ præcedunt à v. 6. qvi arctior est in loco parallelo *Luc. 17. v. 1. seqq.* pro illâ, subjuncta qvæstioni Petrinæ parabola Christi de servo debitore. Qvicqvid sit, de illis agitur conventibus hoc 15. & seq. versu, ad qvos peccatum fratris provocat, nec eorum ultra hanc causam continuandorum ullum mandatum datur. Finis eorum proponitur emendatio peccantis, qvæ fit per elenchum, cui qvidem & διδασκαλία & παιδεία & ἐπανόρθωσις accedere freqventer solent, consolatio autem aut conjunctæ precantium voces non item, nisi si qvod scandalum diffidentiâ animi datum esse dixeris. Nam *monendi protervi sunt, consolandi pusillanimes, 1. Thess. 5. v. 14.* nec dabitur harmonia precum, nisi cum illo qvi fratrem audit, & cum ipso consentit *v. 20. h. c. 15. Matth.* at qvi fratrem audit jam emendatus est, ut inqvit Dominus, *v. 15.* & ad talem ut privatis sermonibus nos conferamus, hîc qvidem non jubemur. Præterea & preces, qvæ à monentibus testibus pro salute ac emendatione fratris fundi possent inter hæc colloqvia, finem suũ non obtinere semper (qvod promittitur precibus τ συμφωνησάντων, *v. 19.*) ipsa oratio Christi prodit, in casum irriti rem ad ecclesiam deferre juben-

jubentis, ut ita promissio hypothesi non conveniat, si versum decimum nonum ad decimum qvintum vel sextum referas. Unde consequens est, conventûs privatos, qvæ ad exercitium pietatis inter fideles instituuntur, in his versibus 15. & 16. non fundari.

§. 44. Cum autem ad seqventes versûs progredimur; post gradûs elenchi indicatos, qvorum ultimus in judicio ecclesiæ ponitur *v. 17.* hujus qvidem potestatem confirmat *v. 18.* clavium virtute indicatâ, deinde pergit *v. 19.* πάλιν λέγω ὑμῖν. Vocula πάλιν aut repetitionem prioris significat, & Latinè redditur, *iterum*, aut oppositionem, & Latinè redditur, *contrà, vicissim, retrò.* Qvod nudum etiam progressum sermonis indicet, ut vertatur, *porrò, præterea*, nullo qvidem exemplo nobis constat. Inter duas autem illas, qvas agnoscimus, posterior significatio locum hîc habere neqvit. Neqve enim inter exauditionem precum & elenchum peccantis, ejusve solutionem aut ligationem sive relativa sive contraria est oppositio. Si priore sensu voculam accipimus, oportet id qvod hoc versu dicitur, antè jam dictum esse. At nihil ibi occurrere, qvod cum integrâ sententiâ Christi, qvâ precum exäuditionem promittit, synonymum sit, αὐτοψία ipsa loqvitur, & elenchum fraternum non esse symphonesin ad preces, modò ostendimus. Ergo necessariò hæc repetitionis particula solas voces λέγω ὑμῖν afficit, qvæ etiam præced. v. 18. occurrunt. Jam si hæc Evangelistæ verba essent, in tertiâ personâ loqventis, liceret opinari, nihil hic aliud dici, qvàm qvòd bis ad discipulos loqvi cœperit Jesus, nec post finitum primum sermonem tacuerit; qvalis hujus particulæ sensus occurrit *Joh. 8. v. 12.* At qvòd ipse Christus nil aliud voluerit his vocibus indicare, qvàm qvod discipuli vel sine hoc monito audiebant, nempe qvòd iterum inciperet fari, ab omni probabilitate alienum est: ideoqve τὸ λέγειν specificè interpretari oportet de subjectâ materiâ, & locutione permissivâ, qvalis præcesserat, in hunc sensum: *iterum vobis promitto de eâ re, de qvâ promisi*, de potestate nempe ecclesiæ, ut intelligatis, qvantum pondus habeat sententia ejus in contumacem lata; qvemadmodum monitum de divitiis regno cœlesti obicem ponentibus, *Matth. 19. v. 13. Amen dico vobis, qvòd difficulter dives ingressurus sit in regnum cœlorum*, alio fortiore repeturus, addit *v. 24.* πάλιν δὲ λέγω ὑμῖν *iterum verò dico vobis, facilius est ut camelus transeat per foramen acûs &c.* in qvo sermonis genere semper qvod posterius est, ut in gradatione, majus qvid atqve fortius esse solet.

Hoc

Hoc sensu voculæ πάλιν jam supposito verâ totius sententiæ vis atqve scopus facilè patescet. Nempe potestatem ecclesiæ iteratâ promissione confirmat, progressu facto à minore ad majus h. m. *Etiam cum bini aut terni estis, vestris adero synaxibus, & preces vestras exaudiam, qvantò magis si major fuerit ecclesia?* & à genere ad speciem hoc modo: *Qvicqvid in nomine meo patrem orare decreveritis, dabitur vobis, i. e. ratihabitio ligationis ac solutionis.* Oportet enim censuras ecclesiæ non absq; præviis precibus fieri. Conf. in hunc sensum explicans verba *Lyserus cap. 92. harm. Evang. p. 1008. edit. ult.*

§. 45. Qvia igitur promissionis, qvæ vi analyseos factæ hisce verbis continetur, capacior est ecclesia latior qvàm arctior, dum illi qvàm huic ut competat magis probabile est, necessarium etiam est, ut συμφώνησις seu concentus factus ad communes preces, & collectio in nomine Christi, qvæ fit à totâ ecclesiâ gratior Deo sit, qvàm qvæ fit à paucis. In latiore qvidem ecclesiâ plerumqve sunt plures mali, ne exactissima animorum omnium harmonia ibi facile speretur; attendere tamen oportet ad numerum eorum, qvi viva Christi membra sunt, & istic procul dubio majorem, qvàm in privatâ collectione reperiuntur. Proinde neqve hæc illis tanqvam peculiaris legis institutа suâ sibi propriâ promissione adjunguntur, sed illorum tantummodo loco, ubi freqventiore numero colligere non licet, h. l. assumuntur. Præterea qvia vi posterioris argumenti, qvod ex textu deduximus, ligatio & solutio ut species sub generali promissione continetur, & inde planum est, qvòd Dominus præcipuè talem indigitet conventum, qvi etiam ligare & solvere possit, seu pro ethnico & publicano protervum excommunicare, id est, qvi non majoris ecclesiæ membrum sit, cujus sententiam priùs audire oportet, juxta *v. 17.* sed qvi ipse ejus vicem suppleat, ubi nulla alia haberi potest; ad qvem casum hæc promissio haud obscurè trahitur in *Art. Smalcald. p. 353.* Videtur qvidem huic explicationi adversus esse Genitivus distributionis ὑμῶν, cum Christus non simpliciter dicat, *si duo*; sed, *si duo ex vobis consenserint &c.* qvasi exerto digito ecclesiæ majoris membra indigitans; *si ex iis, qvi majorem ecclesiam constituunt, duo consènserint.* &c. Sed opus non est, ut ecclesia formaliter seu visibiliter collecta hâc voce ὑμῶν indigitari credatur, cum Christus discipulos & cum discipulis omnes fideles alloqvatur, qvi & invisibilis ecclesiæ membra sunt, qvamvis ita dispersi, ut ad binarium aut ternarium alicubi redacti sint. Latentes ejusmodi fideles sunt, qvos præ-

cipuè

cipuè interesset hâc promissione Christi erigi, qvæ propterea in eum sensũ explicanda non erit, secundùm qvem ab hoc solatio ipsos excluſos esse oportet.

§. 46. Præter hunc locum Matthæanum, qvem latè consideravimus, pro necessitate horum collegiorum etiam afferuntur exempla Christi & Apostolorum: Christi qvidem, qvi non tantùm in templo docuerit, sed & in synagogis, agris, & ædibus privatis, collegiumqve peculiare XII. discipulorum sibi assumserit, qvod ipsi perpetuò adhæreret, & cũ qvibus freqventer dicitur convenisse in horto Gethsemane *Joh. 18. v. 2.* Apostolorum, qvi cum fidelibus *qvotidie in templo & in singulis domibus non cessabant* docere, *Act. 5. v. 42.* conf. & *cap. 2. v. 46.* qvi etiam *soluto cœtu* cum ipsos sequerentur judæi & religiosi proselyti *eos alloqvebantur*, svadebantq; ut perseverarent in gratiâ Dei, *c. 13. v. 43.* Qvibus verbis conventûs duplices, alii publici, alii privati, atq; si non & hoc posteriore loco, certè tamen utroq; priore recurrentes & constanter repetiti, ab iis observati indicantur. De privatis aliis *cap. 4. v. 23. seqq. cap. 10. v. 27. & 45. cap. 12. v. 12. cap. 20. v. 17.* ne qvid addatur. Accedit ecclesia in ædibus Priscæ & Aqvilæ, ἡ κατ' οἶκον αὐτῶν ἐκκλησία, *Rom. 16. v. 5. 1. Cor. 16. v. 19.* & in ædibus Nymphæ, *Col. 4. v. 15.* & Philemonis *Philem. v. 2.* qvâ domesticos, qvi de illorum familiâ erant, indicari probabile non est, qvippè aliâ phrasi notari solitos. v. g. Salutate τὰς ἐκ τῶν Ἀριστοβούλου *familiares Aristibuli*, *Rom. 16. v. 10.* οἱ Χλόης familiares Chloæ *1. Cor. 1. v. 11.* domus Stephanæ, *v. 16.* domus Onesiphori, *2. Tim. 4. v. 19.* Ecclesiæ autem nomine qvia plus dicitur, utiq; alii, qvi extra familiam sunt, sed in eâ domo tamen convenire soliti comprehentur; & qvia permanens hæc ecclesia erat, speciatim salutari jussa, collegium pietatis privatum rectè appellari videtur. Exempla autem Christi & Apostolorum nobis pro lege sunt, dum in eorum vitam tanqvam in speculum jubemur intueri, ut habeamus qvod imitemur.

§. 47. Hic verò ad differentiam, qvæ inter ecclesiam plantandam & plantatã est, attendere oportet, ne credamus omnia in nostra tempora convenire, qvæ illis temporibus necessaria fuerunt. Ad Christi qvidem exemplum facilior est responsio, cujus qvæcunq; extra synogogas habebantur conciones, pro oblatâ occasione habebantur sine fixâ colligendi lege; neq; freqventior fortè in ædibus Lazari aliisve familiaritas, aut Apostolorum perpetuus convictus (qvos comitantes in hortum ducere, non dispersos convocare solebat) cum collegio privato, de qvo hîc qværimus, coincidit, uti hæc superiùs distinximus. Planè fuerunt Christo etiam alii discipuli præter hos duodecim, LXX. missi sunt in diversos judææ regiones, *Luc. 10. v. 1.* mulieres etiam

in Galilæam ipsum secutæ, *Marc.15.v.41.* centũ & viginti viri post ejus in cœlos abitum, *Act.1.v.15.* collecti erant: qvos omnes non continuò cum ipso vixisse, sed per intervalla ei adhæsisse credibile est. Sed longè alia fuit ratio Christi, qvàm nostra est, ille aberrantes oviculas, Rabbinicis q; traditionibus implicitas, vocatum ad fidem venerat promissus mundi Salvator, ut relictis aliis doctoribus ad se reciperetur populus, *Matt.11.v.28.* nos eandem qvam ecclesia profitetur in ipsum fidem, servare oportet illibatam. Non habemus aliud Evangelium, qvod populum doceamus, non ergo novis collegiis opus est. Id omne autem, qvod ita singularis officii ratione Christus extra ordinem præstitit, qvàm cum judæorum moribus parùm convenerit, prodit accusatio, *Luc 23.v.5. Commovit populum docens per universam judæam, exorsus à Galilæâ usq; ad hunc locum.*

§. 48. Synagogæ *ipsæ* judæorum non cum privatis collegiis, sed publicis potiùs ecclesiis & parochiis nostris comparari debent. Etsi enim illud in populo Dei singulare fuit, qvòd juberentur omnes mares coram tabernaculo arcæ fœderis, vel deinde in templo, postqvã id extructum erat, ter qvotannis comparere, *Ex.23.v.17. Deut.16.v.16.* ibiq; tantùm qvæcunq; offerenda erant sacrificia aut purgationes Leviticæ faciendæ offerre & peragere, qvod in N.T. cessat, ubi typici sanctuarii sacrificiorumq; religio per antitypum sublata est; ad meditationem tamen legis & prophetiarum ut & communes preces etiam tunc omnibus sabbatis erat convocatio sancta ex præcepto divino, *Lev.23.v.3.* qvemadmodum & in solennibus tribus festis, *v.7.24.27.35.* & cum toties repetere Hierosolymitanum iter nec possent nec juberentur illi præsertim, qvi procul habitabant, religio etiam itineris sabbatici ad certum modum determinati, cujus mentio fit *Act.1.v.12.* probabiliter ex *Ex.16.v.29.* desumta, multò magis obstaret, hâc ipsâ sanctione divinâ synagogas (utut ante tempora Græcorum hoc nomine non notatas) ut oppidatim instituerentur, auctoritatem accepisse necesse est, qvibus & mulieres, senes, pueri adessent, qvos ad iter Hierosolymitanũ lex non obligabat: ubi tanqvam in publicis locis Moses & prophetæ omnibus prælegebantur, *Act.13.v.27. cap.15.v.21.* Non aliæ fuerant domûs illæ, de qvibus Psaltes qveritur *Ps.74.v.8.* שרפו כל־מועדי־אל בארץ *combusserunt omnes congregationes Dei in terrâ*, seu *totius regni, aut provinciæ.* Qvia ad unicum sanctuarium, de qvo jam vers. præced. dictum erat, hæc collectiva pariter ac distributiva phrasis applicari neqvit. Has & in agris qvondam extructas esse, judæorum est traditio in *Gem. Beracb.* nempe ut ex vicinis villis atqve oppidulis, ubi peculiares synagogæ non erant, illuc con-

confluerent, sicut & προσευχὴ Philippina extra muros erat posita, *Act. 16. v. 13.* ne ullo tempore judæis privatas fuisse credamus, qvas nunc non esse in aprico est. Ex hisce synagogis publicas Christianorum ecclesias enatas esse, & ad illarum formam compositas primitùs, viri eruditi dudum observarunt. Sic qvi à synagogâ separatur discipulorum conventus *Act. 19. v. 9.* ipsis publicus fuit. Licet autem ingens illarum numerus fuisse dicatur Hierosolymis, ad 480. non mirabimur tamen svetam judæis hyperbolem pro magnitudine ac freqventiâ urbis, qvi novimus qvantus templorum & parochiarum numerus apud Christianos qvandoqve in unâ urbe reperiantur (v.g. Romæ 277. numerant) & qvàm incredibilem hominum multitudinem tempore excidii in illâ urbe numeret Josephus.

§. 49. Apostolorum exempla etiam ad privatorum collegiorum aliqvam necessitatem credendam parum nos commovebunt, si ad statum eorũ temporum rectè attendimus. Ædes qvæ publicæ collectioni discipulorum aptæ essent, non fuisse neophytis fidelibus statim paratas, cum primùm cœpissent ad Christum converti, facile qvisq; intelligit, unde factum, ut cum soli esse vellent sine admixtâ judæorum Rabbinicorum turbâ, qvod & ad preces Christo fundendas & ad sacramentũ eucharistiæ dispensandum necesse erat, privatis se ædibus dividerent. Qvandoq; & integras synagogas ad Christum conversas esse haud negabimus, sæpe satis diu qvi fidem acceperant, cum reliqvis non conversis in eâdem synagogâ cohæsisse constat, sæpe etiã seorsim collectas esse, prout ratio tulit, vid. *Act. 18. v. 4. 6. 7. 11. c. 19. v. 8. seq. c. 13. v. 42. seqq. c. 14. v. 3. seq.* Ubicunq; itaq; Synagogæ ab infidelibus Judæis ocupatæ fuerũt, conventûs qvi κατ' οἶκον fiebant, non privatis sed publicis Christianorum ecclesiis annumerare oportet, qvorum divisio nostræ parochiarũ divisioni utcunq; respondeat. Hujusmodi divisiones ecclesiarũ si ullibi certè Romæ fuisse præsumendum est, cujus & amplitudo & freqventia ante omnes maxima extitit, uti & Paulũ & Petrum distinctis ecclesiis præfuisse qvorundam suspicio est, Aurelii & Hallerii dyarchiam suffulciens, qvâ auctoritatem papalem in gemino ecclesiæ capite auspicia sua cœpisse voluerunt. Itaq; ecclesiam qvæ in Aqvilæ domo collecta esse Paulo dicitur *Rom. 16. v. 5.* non absurdè publicam pro aliqvâ urbis regione, seu habitantibus ibi fidelibus, fuisse censeas, Paulo vel interprete ipso Aqvilâ cognitam, aut propter hospitis nomen præ ceteris gratam. Nympham, qvem præter Laodiceos idem salvere jussit, *Col. 4. v. 15.* minùs qvam hos extra Colossas urbem alio loco habitasse, neqvicqvam sumimus. Potest vel in agris alicubi multitudo fidelium fuisse, qvæ

in

in ædibus hujus viri sive in oppido sive in villâ habitantis, tanqvam propriâ parochiâ colligeretur. Nam qvod ex agris omnes die dominico in urbẽ confluxisse suo tempore narrat Justinus, ita universale fuisse, ut nusqvam aliter fieret, & episcopos, qvos in Arabia ac Cypro etiam in pagis observavit Sozomenus *l.7. c.19.* recentem ejus seculi morem fuisse, temerè qvis dixerit. Philemon etiam ubi habitaverit incertum est, etsi enim servus ejus Onesimus Colossis ortus est, uti legimus *Col.4.v.9.* ipsum tamen alibi vixisse vel inde constat, qvòd Apostolus eam urbem non viderit, *Col.2.v.1.* qvi se tamen Philemonem ad fidem adduxisse, non obscurè innuit, *v.19. epist. ad eund.* Itaq; ecclesiam domi ejus collectam majoris alicujus synaxeos ordinariæ partem fuisse nec constat nec probabile redditum est. Posito tamen qvòd in omnibus hisce locis privata qvædam ecclesia intelligatur, qvæ publicæ alteri adscripta fuerit, nec dum tamẽ collegia stata ut intelligamus necesse est, qvamvis maximè nec de familiâ phrasin Apostolicam interpretemur. Probabile enim est multorum eam fuisse liberalitatem, qvam in episcopo Paulus reqvirit, cum eum jubet φιλόξενον esse *1.Tim.3.v.2.* ut exulibus alienis jus hospitii lubentissimè impertirent, cum præsertim iis temporibus publica diversoria nulla essent, qvalia nunc habemus. ¡Qvemadmodum igitur ipse Paulus cum Aqvilâ habitavit, *Act.18.v.3.* multi alii fideles cum ipso Romæ habitare potuerunt, qvi uti de familiâ ejus non fuerunt, ita nec repetitæ ad solam sacrorum communionem synaxeos collegium formaverunt. Ita sanè phrases aliæ Apostoli explicandæ sunt; *Rom.16.v.14. seq. Salutate Asyncritum, Phlegontem &c.* καὶ τοὺς σὺν αὐτοῖς ἀδελφοὺς *& fratres qvi apud illos sunt. Salutate Philologum juliam &c.* καὶ τοὺς σὺν αὐτοῖς πάντας ἁγίους, *& omnes sanctos qvi apud illos sunt*, qvos de illorum, qvi nominantur familiâ propriè ita dictâ fuisse, vero non est simile.

§.50. Concludimus igitur synaxes privatæ pietatis præter eas, qvibus vaga & fortuita occasio data est, ex historiâ Apostolicâ non posse probari; sicut & omnia illorũ circa presbyteros, diaconos, presbyterissas vel diaconissas instituta, ad publicam ecclesiam, non privatos conventûs pertinuisse omnium veterum & recentiorum scriptorum testimonio constat. Qvia autem collegia stata divino jure neq; imperantur neq; prohibentur, sed ab hominũ consiliis unicè dependent, restat qvòd non nisi ab utilitate, qvæ inde speratur, aut damno, qvod ab iis timetur, æstimari possint; qvòqve hujus, vel spei vel metûs major probabilitas est, qvam comparationem peculiari disputationi servamus, vel amplectenda sint vel fugienda.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn788077619/phys_0048
DFG

Q. B. V.

DISPUTATIO THEOLOGICA

De

COLLEGIALI DICENDI LIBERTATE IN SYNAXIBUS CHRISTIANIS,

Qvam,

Annuente DEO opt. max.

Consensu Venerandæ Facultatis THEOLOGICÆ,

In inclytâ ad Varnum ACADEMIA

PRÆSIDE

JUSTO CHRISTOPHORO SHOMERO,

SS. Theol. D. & Professore Publico, Consistorii Ducalis Assessore, Diœceseos Mecklenburgensis Superintendente, Facult. Theol. h. t. Decano,

SOLEMNI DISQVISITIONI

sistit

MARTINUS Nagel/Krutsand-Bremensis

A. C. M. DC. LXXXV. d. 30. Septembr.

ROSTOCHII,

Imprimebat JACOBUS RICHELIUS, Ampliss. Senat. Typogr.

Q. B. V.

DISPUTATIO SECUNDA
DE
COLLEGIALI DICENDI LIBERTATE

Resp.

MARTINO Nagel/ Krutsand. Bremensi.

§. 1.

QVemadmodũ in vitâ privatâ communis inter amicos sermonis libertas est, ita eam & ad communia sacra & rerum divinarum meditationem lubenter producunt, qvi collegia privatæ pietatis commendant. Qvia autem hoc non unius sectæ aut consilii institutum est, tantò etiam qvisqve in eâ re cautiùs importuniùsve versatur, qvantò ipsi docendi officium levius honoratiusve visum est. Vetus nobis cum Anabaptistis & Socinianis de vocatione presbyterorum ecclesiæ fervet disputatio, ne dignitas illius muneris privatæ unius cujusqve fiduciæ relinqvatur, ab ipsis harum sectarum incunabulis deducta, ita ut Helvetii qvidam libello An. 1561. Tiguri impresso hanc causam repudiandæ Lutheranorum communionis adduxerint, qvòd dicendi libertas apud nos non omnibus concedatur. Sed qvæcunqve data sint huic disputationi principia, certum tamen est, qvòd utriqve suos doctores seu ministros sibi communi consensu electos habeant, qvibus solis in ecclesiâ dicendi jus est, ne aliis liceat eos interpellare. Extiterunt autem nostrâ ætate qvamvis diversis studiis Collegiati & Qvakeri, hi nova fanaticorum secta, illi inter Anabaptistas factio, qvi rejecto sacri ambonis privilegio ecclesiam tanqvam publicum theatrum unicuiqve patere volunt, in qvod sine discrimine juvenes senesqve progrediantur, qvibus id lubitum, & ad publicam utilitatem collatis in commune studiis vagos de rebus divinis sermones misceant. Qvakerorum furor in vulgus notus est; qvod autem ad Anabaptistas attinet, primi, qvod sciamus, qvi apud illos novâ propositâ opinione reducendi hujus consilii semina sparserunt, fuere *Koddij* fratres, anno hujus seculi vigesimo, qvos post satis longum intervallum, etsi sat acri partiũ studio secuti sunt *Ad. Borellus, Galenus Abrahami, David Spruyt, Laurentius Klinckhamer, Petrus*

Langedultius, Petrus Petri; &c. non minùs à fidei suæ sociis qvàm aliis sectis acriter oppugnati, qvi qvòd omnes Christianorũ synaxes collegia esse velint, ad qvæ omnes homines pari jure concurrant, novum hoc *Collegiatorũ* nomen indepti sunt. Qvanqvã nec omnium æqvalis zelus est, cum alii præter hujusmodi collegia omnes alios conventûs dedignentur, qvasi qvibus interesse omnino non liceat, alii utrosq; ferre possint; vid. imprimis *auctor dialogi Belgici inter urbanum & rusticum, An. 1675. in Waterlandiâ impressi fol. ult.* qvi idem nos docet, qvæ sententiæ huic patrocinia in Camphusio, Pascherio aliisqve majoribus suis invenerit, laudantibus qvidem & optantibus hanc licentiam, nondum inferre tamen conatis. Laudat eandem & *Acontius l. 4. Stratagem. Sat.* haud absimili studio, laudant & alii. Ex nostratibus etiam illi, qvibus collegia privata placent, aliqvam colloqviorum libertatem in publicis ecclesiæ synaxibus concedi posse censent, ita tamen ut honorem, qvi presbytero debetur, non in publico tantùm sed & privato salvum esse cupiant.

§. 2. Illud ergo argumentum de laicâ dicendi libertate prosecuturi, ante omnia diversam conventuum rationem distingvimus, qvorum discrimẽ non levis in eâ re momenti est, ne qvâ confusione peccemus cum ubivis omnia licere arbitramur. Primùm enim alias leges postulat conversio gentium, alias fidelium admonitio. Cum dispersi adverso fato discipuli vicinas gentes docent, *Act. 8. v. 4. cap. 11. v. 19. seq.* qvorum fortè nemo ad id officium peculiariter constitutus erat, pauci charismate extraordinario Spiritûs S. nitebantur, non eodem jure & in ecclesiâ Christianâ iidem docendi munus occupassent. Inter infideles enim cum nemo alius adest, sola præsens indigentia cognitionis pro lege est, & satis justâ vocatione, ut qvisqve qvantum viribus pollet, regnum DEI adaugeat, & nescias periculi sui animas ex faucibus inferni eripiat. vid. *Luth. to. 2. Jen. Germ. fol. 233. Gerh. L. de Minist. Eccles. §. 74. Danhauer. part. 1. hodom. Sp. Pap. p. 27. seqq.* &c. Erat id qvidem eo tempore speciatim Apostolis dictum, ut per totum terrarum orbem Evangelium prædicarent: attamen qvia ampla nimis illa messis erat, & operariorum pauci, ut eo magis ferveret opus, non ipsi tantùm sibi socios elegerunt Evangelistas, qvales fuere Silvanus & Timotheus *1. Thess. 1. v. 1.* Epaphroditus, *Phil. 2. v. 25.* Crescens, Titus, Lucas &c. sed & gavisi sunt, cum alii vel se inconsultis suam hic probarunt diligentiam, *Act. 11. v. 22. seq.* etiamsi contentionis & invidiæ causâ Christus annunciaretur, dummodo annunciaretur tamen,

Phil.

Phil. 1. v. 16. 18. Etenim, *ut crescerent plebs & multiplicaretur omnibus inter initia concessum est, & evangelizare & baptizare & Scripturas in ecclesiâ explanare, ubi autem omnia loca circumplexa est ecclesia, conventicula constituta sunt, & rectores & cetera officia in ecclesiis sunt ordinata, ut nullus de clero auderet, qui ordinatus non esset, præsumere officium, quod sciret non sibi creditum vel concessum.* Verba sunt Ambrosii, vel qvisqvis auctor est, *comment. ad Eph. 4.* Nec siqvis Apollo *Act. 18. v. 25.* inter imperitos fidei cum aliqvo fructu loqvi potest, propterea dignus æstimatur, qvi & inter fideles verba faciat, meliùs fortè qvàm ipse viam DEI doctos.

§. 3. Deinde & inter publicas & privatas congressiones interest, qvando ad fideles loqvendi licentia petitur. Vel ex civilibus negotiis id constat qvàm non omnis libertas omni loco apta sit, & majori civium frequentiæ major honos debeatur qvàm minori, etiam circa tacendi leges. In conviviis, in amicorum occursu interpellare alter alterum potest, in calatis vero comitiis, vel ordinem qvisqve suum observare jubetur, vel omnino uni aut paucis jus dicendi concedere, ne qva fiat cyclopica confusio. Idem ergo & in ecclesiâ necesse erit. Obvertunt qvidem contra hoc loci ac temporis discrimen Collegiati qvidam, qvòd officium ædificandi proximũ in charitate, universale sit nullis limitibus circumscriptum, qvòd semper ut amare proximum, ita & errantem corrigere, rudem docere, tardum incitare oporteat, & qvo major collectorum numerus, eò major etiam speranda sit mutuæ operæ utilitas. Sed qvàm sit hæc elumbis objectio, facilè cordato cuivis patet. Præcepta Dei se mutuò non destruunt; si salvis aliis accipiendum est id, qvo actus aliqvis universaliter imperatur, ita imperatus esse intelligetur, ut alia legis officia pariter expleas: nec cum *sine cessatione* orare jubemur, *1. Thess. 5. v. 14.* ita orare jubemur, ne superfit tempus, qvo monere alium aut erudire possimus, vel ipsis collegiatis arbitris. Qvi ergo jussit, ut omnes mutuò nos sermonibus piis juvaremus, jussit & bonum ordinem observare, jussit & tacere cum alios loqvi oportet, *1. Cor. 14. v. 30. & 34.* & Jacobus *cap. 3. v. 1.* ne properè doctores esse velimus, cautione opus æstimavit. Planè decet Christianum qvemvis etiam in publicâ ecclesiâ assidentem sibi vicinum, ubi opus fuerit, docere, monere, solari, dummodo justâ id fiat cum modestiâ, sine strepitu & publicorum sacrorum turbatione, neqve adeò officium privati erga privatum penitùs hîc cessare arbitramur. Vicinorum talia in ecclesiis publicis apud veteres exercitia, qvibus mentis ad Deum aleretur attentio, inte-

rim dum appâratus exorcismorum publicum aliqvod silentium posceret, egregiè nobis depingit Cyrillus Hierosol. *præf. ad catechesin* ita hortatus: ὅταν εἰσέλθῃς πρὸ τῆς ὥρας τῶν ἐπορκισμῶν εἷς ἕκαστος ὑμῶν λαλείτω τὰ πρὸς εὐσέβειαν. *Cum ingressus fueris ante horam exorcismorum qvisqve vestrûm loqvatur, qvæ ad pietatem spectant.* Et porro: εἶτα οἱ ἄνδρες καθεζόμενοι ἐχέτωσαν καὶ βιβλίον χρήσιμον, καὶ ὁ μέν τις ἀναγινωσκέτω, ὁ δέ τις ἀκουέτω. Κἂν μὴ βιβλίον παρῇ, ὁ μὲν προσευχέσθω, ὁ δέ τι χρήσιμον λαλείτω. *Deinde considentes viri libellum utilem habeant, & alius legat, alius audiat; si liber non adsit, alius oret, alius utile qvid loqvatur.* Nempe eâ vocis moderatione ne ultra viciniam junctim sedentium audiatur. Sunt enim sic illi considentium vicinorũ ordines, qvasi totidem privati conventûs, dum publicè nihil agitur ad qvod omnes attendere oporteat. Si qvis verò publicè in eam rem audiri velit, magnâ præsumtione virtutis aut aptitudinis totam ecclesiam suâ admonitione indigere opinabitur. Qvum autem freqventiæ atqve auctoritatis varii gradûs sint, qvantò qvisqve fidelium conventus magis minùsve publicus dici potest, tantò etiam magis minùsve interloqvendi adstringi libertatem conseqvitur.

§. 4. Porrò & alium ordinem deliberativi fidelium conventûs alium practici postulant: in his enim explorata veritas proponitur, in illis dubia, in his de consilio certi rem ipsam & sedulam officii observantiam urgemus, in illis qvid factu opus sit disqvirimus. Istic igitur ut sententiæ audiantur & cujusqve rationes mutua συζητήσει examinentur, interest, qvod absqve libertate publicè dicendi fieri neqvit, hîc vero non idem reqviritur. Malè ergo qvod in Consistoriis ac conciliis fit in argumentum ejus, qvod in qvâvis synaxi Christianâ fieri oporteat, adducit Langedult. *Outh. p. 14.* Agnoscimus jus aliqvod toti ecclesiæ & omnibus in eâ fratribus concessum esse in electione diaconorum *Act. 6. v. 5.* & Synodo Apostolicâ, *c. 15. v. 22.* sed illi alii actûs erant, qvàm propter qvos omnibus dominicis vel intersabbatis etiam populũ congregamus. Verùm illud est πρῶτον ψεῦδος Collegiatorum (qvo nomine semper intelligimus eos, qvi inter Anabaptistas κατ' ἐξοχὴν ita appellantur) qvòd omnes synaxes Christianorum deliberativas esse censeant, & communia sacra perpetuis de fide disputationibus absolvant, nutantes ad omnem ventum doctrinæ calami, dum semper discunt nec unqvam ad veritatis cognitionem perveniunt, qvem-

admo-

admodum impostores ultimorum dierum depingit apostolus, 2. *Tim. 3. v. 13.* Illi certe qvi πληροφορίαν fidei nacti sunt, & in eâ jam roborati, fundati firmi & immoti consistunt in spe Evangelii, juxta *Col. 1. v. 10. cap. 2. v. 2. Eph. 6. v. 10.* ejusmodi ambiguis disqvisitionibus non indigent, cum ad communia sacra coëunt, sed id potiùs agunt, ut uno ore atqve animo Dominum Deumqve suum celebrent, juxta *Rom. 15. v. 6.* Ergo si qvi tales sunt fideles, qvod vel tanqvam hypothesin hoc loco concedi postulamus, illorum tamen synaxes ex deliberativis æstimari non debere, nec libertatem linguæ publicæ his æqvè ac aliis necessariam esse concedere oportebit. Qvin & ne in merâ hypothesi subsistamus, cum Apostolus Corinthi sesqvi-annum fideles doceret, *Act. 18. v. 11.* & sic alii viri ψεύσται, de qvorum veracitate & scientiâ dubitari non poterat, fieri non potest, ut omnes synaxes deliberativæ fuerint, neqve adeo ut fratrum sententiam ubiqve audire necessarium fuerit: ut vel sic nobis distinctio hæc, qvam proponimus, satis constet.

§. 5. Deniqve etiam cum in praxi fidei occupamur, aliud genus dicendi est simpliciter didascalicum, aliud demonstrativum aut pædeuticum; in his commovere animos, in illo intellectum juvare præcipuè cupimus. Movetur autem animus magis continuâ oratione, verborum ingeminato pondere subinde acriùs incalescens: at non tam subitò de ignotis arduisqve erudimur, sed interrupto hic & crebriùs repetito sermone hebescentibus facilè ingeniis feliciùs succurritur. Hinc & acroamatibus Academicis disputationes propositas solemus inserere, qvandoqve & ad examen privatum ea revocare, sed & rudiori plebi catechesin Christianam in ipsis ecclesiis ita proponere, ut qvæstionibus ac responsionibus alternis in profectûs ejus inqviramus. Idem apud veteres monet Augustinus *lib. de Catechis. rudib. cap. 13. & interrogatione qværendum utrum intelligat, & danda fiducia, ut si qvid ei contradicendum videtur, liberè proferat.* Hæc est illa scholarum libertas in ædificiis templo Hierosolymitano appositis apud judæos concedi solita, qvâ usus est Christus duodecennis, cum divinâ, qvæ ætatem antevertebat, sapientiâ magistros in stuporem daret. *Luc. 2. v. 46. seq.* Qvamvis autem & in demonstrativis ac persuasoriis orationibus in attentionem vel dubia auditorum inqvirere aliqvando utile fuerit, nec omnis vel interrogandi vel opponendi libertas illarum fini repugnet, non æqvalis tamen utrobiqve vel utilitas vel necessitas est, ut à catechizatione ad conciones sacras argumentum procedat, aut omnes conventûs eccle-

siæ

liæ circa hanc causam perinde æstimemus. Præterea & hoc interest utriusqve generis conventum interest, qvod in scholis & scholasticâ institutione omnis loqvendi libertas discipulis concessa eò referatur ut discant, in συνάξεσι autem ecclesiasticæ orationis qvæcunqve qværitur libertas, ad participandum docendi vel admonendi officium referatur. Qvod longè maximum discrimen probè attendere oportet, si in hac qvæstione rectè versari velimus.

§. 6. Jam verò qvod ad ipsam hanc docendi dicendiq; libertatem in ordinariis Christianorum synaxibus attinet, manifestum qvidem est, qvòd ubi omnia paria sunt, *nemo* (ut inqvit Camphusius) *doctor, nemo discipulus*, nemo superior vel inferior, sed omnes pariter & doctores & discipuli, sine lege atq; ordine qvisq; dicturus sit; qvo fructu & qvâ spe præsentis in tali ἀναρχίᾳ Spiritûs S. nunc non excutimus. Verùm qvando presbyteri & doctores constituti sunt, qvis ordo vel modus laicæ libertatis esse possit aut debeat, dispiciendum est. Etenim concedunt Collegiati & concedere omninò debent, qvòd Christus in cœlos ascendens non Apostolos tantùm, Prophetas & Evangelistas ecclesiæ colligendæ dederit, sed & collectas pastoribus instruxerit, qvibus opus ministerii commendavit, juxta *Eph. 4. v. 11. seq.* unde & presbyteros in ecclesiis ordinatos esse accepimus *Act. 14. v. 23. Tit. 1. v. 5.* Illis itaq; admonitionem publicam & Sacramentorum administrationem peculiariter concreditam fuisse, necesse est, aut si non omnes has docendi partes sibi sumserunt, aliqvos tamen sumsisse constat, *1. Tim. 5. v. 17.* ita & Petrus Presbyteros hortatur *1. ep. 5. v. 2.* ut gregem Dei pascant ἐπισκοποῦντες tanqvam inspectores seu episcopi, de qvibus Paulus reqvirit *Tit. 1. v. 9.* ut *potentes sint ad adhortandum in sanâ doctrinâ, & ad contradicentes redarguendum.* Pari ratione ut Ephesios presbyteros hortatur, *ut attendant sibi ipsis & omni gregi, cui à Spiritu S. positi sint episcopi ad pascendam ecclesiam Dei. Act. 20. v. 28.* Qvæ omnia sine peculiari jure atq; officio, qvo ipsis potissimùm in ecclesiâ dicere & ab ore suo suspensam tenere concionem incumbit, intelligi neqveunt. Nam qvi toti gregi pastor datus est, utiq; collectioni omnium ovium datus est, non tantùm singulis; atq; ita vi correlati ab omnibus etiam junctim sumtis hanc reverentiam, qvâ se potissimũ audiant, jure optimo expectat. Itaq; si qvi orthodoxi, vel ex alienigenis etiam illi, qvi hodieq; presbyteros in ecclesiâ rectè constitui agnoscunt, aliqvam laicis in ecclesiâ dicendi libertatem concedendam esse censent, ita tamen illam circum-

cumscribendum esse concedant oportet, ne illâ officium ordinarium presbyteri vel tollatur vel impedimentum accipiat. Qvin & ipsi collegiati, qvibus hoc presbyteratûs officium hodie sordet, qvamcunq; tamen Apostolicis temporibus laicorum libertatem qværunt, qvibus legitimos etiam presbyteros agnoscunt, illam omnem ad hunc modum circumscriptam qværere debent, & proinde ex S. literis aliisq; antiqvitatis testimoniis haud majorem erui posse, vel in antecessum sumimus tanqvam ultrò datum.

§. 7. Neq; hîc sufficit dixisse, alio tempore libertatem communem esse debere, alio presbyteris propriam, ut in publico dicant. Nam & dispiciendum foret hæc obvertentibus, an ea qvæ antiqvi moris profecrunt fundamenta restrictionem illam alternationis præ se ferant: qvippe qvæ universaliter dicuntur, talem etiam interpretationem habent, qvæ universaliter locum invenit. Certè ex hoc capite mutuæ adhortationis, ut suprà notavimus, commendationem ab Apostolo factam collegiati ad ecclesias publicas transferunt, qvòd interruptum aut certo loco alligatum illud officium esse non debere censeant, qvod generaliter præceptum est, vid. *dialogist. D. 3.* ideoq; eodem jure ad omnes pertinet synaxes publicas, qvo ad qvasdam, nisi ratio qvædam discriminis possit doceri. Tum etiam ipsum presbyteri officium pariter perpetuum esse S. literæ docent, ad omnes occasiones εὐκαίρως & ἀκαίρως obligans *2. Tim. 4. v. 2.* nec reverentiam, qvæ illis debetur, unqvam exuere licet, *Hebr. 13. v. 17.* ut qvandoqve auctoritati illorum cedas, qvandoqve non item; sed qvæcunqve illis concessa est auctoritate divinâ prærogativa, eam semper concessam esse oportet, & si qvam habent libertatem laici, eâ semper ita uti necesse est, ut cum prærogativâ presbyterorum consistat. Qvod ita verum est, ut ipse Klinckhamer. *p. 239. def. cont. Pont.* contendat, si qva presbyteris ratione officii prærogativa competit, eam & extra ecclesiam semper competere debere.

§. 8. Tres autem omninò modi occurrunt, qvibus publica qvædam dicendi libertas cum aliqvâ prærogativâ presbyteralis officii, adhibitâ utrinqve temperatione, componi potest. *Primus*, qvo qvisqve qvod lubet in medium proferat, pari jure atqve potestate sermonem vel occipiendi vel abrumpendi vel alienum interpellandi, qvo ipsi presbyteri, & horum peculiare officium in eo solo consistat, ut cum fortè nemo alius qvid proloqvi velit, vacuas partes arripiant, ne publicum sit silentium. Qvemadmodum in qvibusdam Academiis hac conditione opponentes ordinarii

constituuntur publicis disputationum exercitiis, ut extraordinariis qvidem locum dent, sed si tales non adsint, suo munere fungantur. *Secundus*, qvo hæc libertas communi presbyteri moderationi subjiciatur, ne nisi eum ipse & qvibus scenam aperuerit, aliis potestas detur in medium procedendi, nec ultrà qvàm etiam idem impositio communiter silentio, eandem clauserit, aut aberrantem correxerit, obscura etiam explicando & defectum supplendo. Qvale Præsidis officium esse solet in disputationibus Academicis, præsertim respectu respondentis. *Tertius*, qvo dicturo cuivis peculiaris à presbytero venia petenda est, aut ejus invitatio expectanda, qvi consideraverit, cui hanc potestatem facere consultum sit vel minùs. Primo modo exercitiũ libertatis communis nullâ ratione pendet à presbytero, secundò generaliter ab eo pendet, tertio specialiter. Potestq; in omnibus hisce tribus modis libertas dicendi vel ad omnes extendi, vel ad qvosdam tantùm, si nempe non nisi vel ecclesiasticorum officiorum candidati, vel in genere qvivis literati, vel seniores plebis, vel probatæ fidei morumq; homines ad eam admittantur.

§. 9. Postremus hic temperationis modus (ut retrogrado ordine illos nunc assumere liceat) non omnino alienus est ab ecclesiarum nostrarum more, dum Studiosis Theologiæ passim facultas cathedræ ecclesiasticæ, & utinam non nimis freqventer, & sine delectu! conceditur. Nec alienum penitus id esse à moribus primitivæ ecclesiæ, ut & illi, qvi in clerum solenni ritu nondum cooptati erant, ab episcopis admitterentur, ut in publicâ ecclesiâ dicerent ac S. literas interpretarentur, docet nos *Eusebius l. 6. hist. eccl. cap. 19.* ubi Originem τὴν τῦ πρεσβυτερίου χειροτονίας ἀδέπω πω γεγονότα *presbyteralem ordinationem nondum nactum* in Palæstinâ id fecisse narrat, ἔτι νέον ὄντα *cum adhuc juvenis esset*, cumqve Demetrio Alexandriæ episcopo hæc res nova videretur, ut *præsentibus episcopis laicus concionaretur*, Alexander Hierosolymorum & Theoctistus Cæsarienses episcopus factum ita defenderunt: ὅπου γῦν εὐρίσκονται, οἱ δυνάμενοι πρὸς τὸ ὠφελεῖν τὺς ἀδελφὺς, καὶ παρακαλῦνται πῶ λαῶ προσομιλεῖν ὑπὸ τῶ ἁγίων ἐπισκόπων, ὥσπερ ἐν λαμπάσι ἔυελπις ὑπὸ νέων, καὶ ἐν ἰκονίῳ παυλίνῳ ὑπὸ κέλσου, καὶ ἐν συνάδοις ῥόδωρῳ ὑπὸ ἀττικῦ τῶ μακαρίων ἀδελφῶν, ἀκὸς δὲ καὶ ἐν ἄλλοις τόποις τῦδε γίνεσθαι, ἡμᾶς δὲ μὴ ἐιδέναι πᾶ ficubi reperiuntur qvi fratribus prodesse possunt, eos sancti episcopi ultrò adhortantur, ut ad populum conciones habe-

habeant, sic Euelpis Larandis rogatus est a Neone, Paulinus Iconij à Celso, Theodorus apud Synada ab Aetico, fratribus nostris beatissimis. Idqve etiam alibi fieri credibile est, qvamvis nos ignoremus. Qvod speciatim Demetrius carpserit, præsente episcopo hanc potestatem laico dari, argumento est, qvod absente eodem, vel & presbyteris absentibus si id fieret, id improbaturus nec ipse fuerit; sicut cum de ruralibus presbyteris statuitur *c. 13. Neocæs.* ne offerant præsente episcopo vel presbyteris urbis, contrarius hic sensus admittitur, qvòd si illi absint tamen, dare eucharistiam possint. Habemus præterea *c. 98. Carthag. IV.* apud Caranzam, qvo rogatu clericorum etiam laicos dicere solitos fuisse sat aperte innuitur, qvando sub hâc exceptione idem illis prohibetur: *laicus præsentibus Clericis, nisi ipsis rogantibus, docere non præsumat.* Hæc enim invitatio clericorum vel episcopi instar vocationis est in laico, ne temerè in alienum officium videatur involasse; qvæ & ad explorationem virium & ad necessariam officio præparationem (pro freqventiâ concionum, qvæ à presbytero statim ut creatus est, apud nos exiguntur) qvandoqve reqviritur. Sicut & Saturo, qvem lectorem ecclesiæ constituere decreverat Cyprianus *Epist. 24. ad clerum,* in hunc finem se *die paschæ semel atq; iterum lectionem dedisse* profitetur.

§. 10. Extra majores synaxes ecclesiæ, cum pro horis Pontificiorum canonicis qvotidie ad matutinas ac vespertinas preces clerus cum Scholaribus ad templum confluit, magis etiam hunc libertatis gradum concedit Lutherus To. 2. Jen. fol. 235. in libello von Ordnung GOttes-Dienstes in der Gemeine/ ut qvicunqve jussus fuerit Scholaris, publicè legat aut lectionem interpretetur, daß man täglich des Morgens eine Stunde/ frühe umb vier oder fünff zusammen käme/ und daselbst lesen liesse/ es seyn Schüler oder Priester/ oder wer es sey/ gleich wie man itzt noch die lection in der Metten lieset. Daß sollen thun einer oder zween/ oder einer umb den andern/ oder ein Chor umb das ander/ wie das am besten gefället. Darnach sol der Prediger/ oder NB. welchem es befohlen wird/ herfür treten und dieselbe lection ein Stück außlegen/ und die andern alle verstehen/ lernen/ und ermanet werden — desselben gleichen an den Abend. Ubi ipsa vocum textura satis ostendit, qvòd de illo agens officio, cui eos tantùm qvi in spem presbyterii educantur, interesse jubet (etsi alios qvoqve adesse nil vetat) & illos solos ad lectiones aut interpretationes provocari cupiat. Baronius qvi in officio

mâtutino Apoſtolici moris imaginem optimâm ſupereſſe cenſet *ad a. 57. n. 161.* hoc potiſſimum in iis deſiderat, qvod Lutherus h. l corrigit, ne ex ſcripto omnia recitentur, ſed & pro cujusqve dicendi copiâ qvod è re viſum fuerit, addatur. Hinc idem *divino plane conſilio* factum eſſe ſcribit, qvod Romæ in oratorio S. Hieronymi alia qvædam conventûs forma redacta ſit, qvæ Apoſtolicam magnâ ex parte imitaretur, qvâ *præmiſſâ imprimis ſilentio factâ precatione, ex fratribus aliqvis lectionem auſpicaretur, ad permovendos animos ad pietatem accommodatam. Inter legendum etiam idem qvi præeſſet Pater ſolitus eſſet interloqvi, ac eadem qvæ dicta eſſent accuratiùs explicando, amplificando & ardentiori ſtudio in audientium corda inſinuando, interdum etiam aliqvorum ex fratribus qvid de aliqvâ re ſentirent, rogando ſententiam, in modum fere dialogi ſermonem ad horæ ſpatium magnâ audientium alacritate perduceret. Ejusdem juſſu poſtea ſuggeſtum gradibus ſublimiorem conſcenderet ex fratribus aliqvis, qvi ex vitis ſanctorum probatis atq; receptis, divinâq; Scripturâ ac SS. Patrum ſententiis abſq; fuco vel pigmentis intextam orationem haberet. Qvi huic ſuccederet, eodem planè dicendi genere, ſed diverſo argumento ſermonem diceret. Demum tertius his accederet, qvi hiſtorias eccleſiaſticas ordine temporum diſpoſitas enarraret. Qvibus, dimidiæ horæ ſpatio ſingulis ad dicendum conceſſo, mirâ audientium utilitate pariter & voluptate perfunctis, cantato hymno ac repetitis iterum precibus jam conventus abſolveretur.* Qvam Baronii narrationem propterea prolixiùs huc tranſcribimus, qvòd Collegiati de hoc aſſenſu Romanæ eccleſiæ, ab Iſaaco Pontano Remonſtrantium Amſtelodamenſium miniſtro *part. 2. tract. de viſib. eccleſ. p. 68.* ſibi ſuppeditato, non parum ſibi gratulentur. Ubi tria notamus (1) qvàm facilè hic annalium conditor, qvi nil niſi antiqvitatem ſuæ eccleſiæ crepat, fidemqve & mores ſuos ex veterum ſuffragiis extruere toto opere laborat, concedat Apoſtolici moris vix obſcuram aliqvam apud ſe umbram ſupereſſe, ut ad privati collegii inſtituta χθὲς καὶ πρώην enata oporteat recurrere (2) qvòd facultas dicendi hîc ſolis fratribus dicatur data eſſe, qvod nomen non de qvibusvis fidelibus, ut volunt Collegiati, ſed de tyronibus tantùm, qvi religioſis ordinibus adſcripti ſunt, Pontificii uſurpare ſolent, (3) qvòd omnis hæc dicendi facultas à ſpeciali juſſu vel invitatione præſidis pependerit, ideoqve ad hanc ultimum adſtrictæ libertatis modum pertineat.

§. II. Secundus temperatæ cum presbyterali auctoritate laicæ

wa-

παῤῥησίας gradus non displicet If. Pontano *p. 63. & 78.* qvi nullam hodie Christiani nominis sectam esse censet, qvæ illum non facilè admiserit; sed præter illud unum ex Baronio testimonium (qvod ad superiorem classem retulimus) non nisi Calvinianorum doctores qvosdam & veterem praxin adducens: nempe Zvinglium qvi *lib. cont. Embserum* dolet, desiisse morem istum, qvo etiam laicis in ecclesiâ de verbo DEI disserendi potestas olim concessa sit: Calvinum cujus *lib. 4. instit. cap. 12.* hæc verba sunt: *Si nitimur emendare qvod displicet, facimus id ex officio nostro: & huc pertinet illud Pauli, si melius qvid sedenti revelatum fuerit, prior taceat. Unde constat singulis ecclesiæ membris demandatum publicæ ædificationis studium pro mensurâ gratiæ suæ, modo decenter & secundum ordinem, hoc est, ne vel ecclesiæ communionem renunciemus, vel in eâ permanentes pacem & disciplinam ritè compositam turbemus:* Petrum Martyem *LL. CC. classf. 4. cap. 1.* qvòd non oporteat qvenqvam fidelium, ea qvæ dicuntur publicè rectiùs intelligentium spernere, sed (si juxta Apostolicum institutum velimus ecclesiam instituere) commodo modo, loco atqve tempore illum audire: Amesium, qvi *l. 4. de cas. consc. cap. 26. q. 15. Præter solennem,* inqvit, *verbi prædicationem, à ministro habitam è suggesto, in ecclesiâ primitivâ fuit exercitium qvoddam propheticum, ad qvod admittebantur non tantùm ministri, sed & ex fratribus primarij vel maximè approbati pro donis illis qvæ habuerunt sibi collata: licebat etiam aliis ecclesiæ viris discendi gratiâ modestè & ordine dubia sua proponere, ut à peritioribus docerentur. Hoc exercitium ubi commodè possit in ecclesias introduci, non debet contemni &c.* Deniqve Joh. Hornbeckium, & ex eo harmoniam synodorum Belgicarum, qvibus concluſum, ut in omnibus ecclesiis ordo prophetandi juxta „ institutum Paulinum observaretur, ad qvod collegium non prædicato- „ res admittantur tantùm ordinarii, sed & doctores scientiarum & ex „ senioribus ac diaconis plebis, imò ex omni ecclesiâ à prædicatoribus ver- „ bi eligantur, qvi charismata divinitus accepta ad ecclesiæ velint utilita- „ tem impendere, ubi liber aliqvis S. Scripturæ explicetur, & cum suâ qvis- „ qve vice dixerit, alius, si placeat, addat qvæ ad ædificationem pertinent. „ Cujus generis institutum an unqvam tamen inter Calvinianos in Belgio introductum sit, nescimus, eòqve minùs credimus, qvòd nec Pontanus nec Collegiati, studiosè qvæ ad causam suam pertinent rimati, ejus meminerint. Tigurinum verò qvondam tale inter literatos exercitium ex Bulingero refert, qvo convenientes in æde sacrâ, pericopem Biblicam alius la-

 tinè,

tinè, alius hebraicè alius græcè expoſuerit ex optimis interpretibus, unde tandem qvæ ad uſum populi faciunt excerpſerit presbyter, oratione ad eccleſiam factâ: item Belgarum Londini circa Anno 1550. ex Johanne Uytenhove & Martino Micronio, qvòd feriâ qvavis qvintâ hebdomadis poſt finitam concionem aſſidentes verbi miniſtri hortati ſint ſeniores plebis, aliosqve pios & probatos viros, qvibus illa poteſtas data erat ex eccleſiæ conſenſu, ut ſi qvid haberent objiciendum proferrent, qvibus miniſtros hos eccleſiæ ſatisfacere oportuerit. Non ad eundem qvidem ſcopum hæc omnia ſuffragia exactè collimant, nec eandem deſiderant libertatis reſtrictionem, generaliter tamen omnia aliqvam reqvirunt, prævia perſonarum & loci electione, ne promiſcuè omnibus ſcena, nec ubiqve etiam, pateat. Liberaliùs qvidam noſtrates tale optant collegium, qvo ſine diſcrimine cuiqve, qvi ad eam rem idoneus eſt, ſententiam ſuam de propoſito ſcripturæ loco ejusqve ad communem οἰκοδομὴν applicatione proferre permittatur, ab aliis præſertim vocatis eccleſiæ doctoribus examinandam, ita tamen ut & concionibus ſine interpellatione habendis ſuum tempus ſit. Publica ejusmodi loqvendi facultas facta, qvæ æqvô jure ad omnes pertinet, ſola qvidem non ſufficit ut ad dicendum potiùs qvàm audiendum ſe qvis vocatum eſſe credat; ſi qvis tamen dignum qvid auribus aſſidentium ſe proferre poſſe ſibi perſvaſerit, in eâ qvæ generaliter facta eſt, ſui qvoqve invitationem contineri rectè concludet, ut adeò partim alienâ voluntate partim ſui fiduciâ nitatur.

§. 12. Primum deniq; & illum auctoritate presbyterorum indigniſſimum modum libertatis communis cum officio hoc publico componendi haud inviti tulerint Collegiati. Qvippe hoc ſimili rem declarat *Klinckhamer l.c.p.235.* ſicut qvi reficiendis aggeribus, qvi aqvis opponuntur, aut incendiis extingvendis præfecti ſunt, non eâ pollent auctoritate, ut alios idem facientes prohibeant, ſed ut cum alius nemo adeſt, ipſi publicum in eâ re bonum procurent, & qvod alii ſponte faciunt, ipſi peculiaris officii causâ facere teneantur: ita & presbyteri vel doctores eccleſiæ conſtituti ſint, qvi cum nemo alius adeſt, ſuâ ſponte ad docendum populum commotus, id officium expleant. Cumq; ipſi objectum eſſet, præfectos tales aggeribus aut incendiis datos eſſe cum imperio, qvod alios non oporteat arripere; regerit, ſe non cum iis qvi imperant, ſed qvi opus faciunt Doctores eccleſiæ comparare. Sic etiam, alio exemplo, diaconos ad diſtribuendas eccleſiæ eleemoſynas conſtitutos eſſe ait, qvorum officium tamen

non

non impediat, qvo minùs & aliis colligere pecunias liceat & pauperibus distribuere; utpote propterea tantùm constitutum, qvia pauci idfaciunt, ne omnino hoc beneficium negligatur. Sed in hac comparatione non animadvertit, qvàm & à sociis operis injustum impedimentum fieri possit illis, qvibus opus demandatum est. Plures simul canere non simul dicere posse, vetus Germanorum verbum est: plurium operam unà concurrentem desiderant fortè rupti aggeres aut ardentes ædes, vel inopia etiam pauperum; at non nisi uno qvi publicè doceat qvâqve horâ indiget ecclesia, & plures si pariter surrexerint, necessariò alter alterum turbabit. Operarii etiam publici si ab accurrentibus aliis fuerint excluſi, qvi minùs rem intelligunt, vel diverso consilio atqve studio juvantium præpediti, qvo minùs ad eum modum, qvi ipsis præscriptus est, rem conficiant, turbæ fiant necesse est, & publicum damnum orietur: cumqve alii liberalitatem ecclesiæ studiosiùs solicitaverint, unde distribuendũ ex suo ingenio thesaurum colligunt, jam ad diaconos publicarum pecuniarum minus confluet, ne ex decreto & auctoritate superiorum distributio fieri possit. Ita etiam presbyterii auctoritas in hac collegiali libertate salva non erit, nec officium integrum relinqvetur, si aliis pro suo ingenio interloqvi, aut cum desierint presbyteri, docere ea præsumserit, qvæ propositam ab iis doctrinam impunè convellant. Apostolos certè pro ministris Christi & Oeconomis mysteriorum ejus oportebat agnoscere, *1. Cor. 4. v. 1.* illorumqve etiam potestatem revereri, *2. Cor. 10. v. 8. cap. 13. v. 10.* tanqvam paternam, *1. Cor. 4. v. 15. Gal. 4. v 18. Phil. 2. v. 22.* ideoqve saltim ubi ipsi docebant, magis audiendi erant, qvàm qvivis alius, ne in casum tantùm necessitatis rejecti, in paritatem juris omnes fideles admittere cogerentur. Contra illimitatam hanc licentiam loqvitur Lutherus in libello von den Schleichern und Winckel-Predigern To. 5. Jen. fol. 493. Welch ein fein Muster solte mir das werden/ wenn ein Pfarrer predigte/ und ein jeglicher hätte macht ihm in die Rede zufallen/und sich mit ihm zu schelten? weiter solte den beiden abermal ein ander in die Rede fallen/ und den andern auch heissen schweigen/da nach etwa eine volle Bier-Amsel aus eim Kruge daher lauffen/und diesen allen dreyen in die Rede fallen/und den dritten heissen auch schweigen. Und zuletzt die Weiber auch wolten solch Recht haben/ als die Männer/ und die Männer heissen schweigen/ darnach immer ein Weib das ander. O welch eine schöne Kirchweihe/ Kretschmer und Jahrmarckt solte da werden? auff wel-

welchem Saukosen solte es nicht feiner zugehen / als in solcher Kirchen?

§. 13. Mulieres qvidem ab hoc juris consortio excludunt Collegiati, ut videre licet apud Klinckhamerum *p. 101. & 175.* attamen Qvakerorum gens admittit, atq; sic ultrà etiam qvàm illi hanc licentiam protendit. Tuetur publicam illorum lingvam peculiari libello qvidam *M. F.* provocans (1) ad primam mulieris non minùs qvàm maris ad imaginem Dei creationem *Gen. 1. v. 27.* (2) gratiam Dei etiam in imbecillioribus magnam *1. Cor. 1. v. 27. 2. Cor. 12. v. 9.* (3) semen mulieris serpentino semini inimicum *Gen. 3. v. 15.* ejusq; promissionem completam *Gal. 4. v. 4.* (4) allegoriam ecclesiæ in muliere figuratæ *Es. 54. v. 6. jer. 31. v. 22. Ps. 45. v. 14. Cant. 1. v. 8. cap. 5. v. 9. Apoc. 12. v. 1.* (5) majorem mulieribus aliqvando qvàm ipsis maribus factam revelationem, ut qvòd Jesus sit messias, *Joh. 4. v. 26.* qvòd per ipsum detur resurrectio, *cap. 11. v. 25.* qvòd resurrexerit, *Marc. 16. v. 6. 9. &c.* (6) insignem, qvæ in illis ferbuit charitatem, *Luc. 7. v. 37. Matth. 26. v. 7. cap. 27. v. 55. seq.* (7) donum prophetiæ in illas collatum *Act. 2. v. 17. c. 21. v. 9. 1. Cor. 11. v. 5. jud. 4. v. 4. cap. 5, 1. 2. Reg. 22,* v. *14.* (8) illarum in propagando Evangelio & docendis hominibus opem, *Luc. 2. v. 38. Act. 18. v. 26. Phil. 4. v. 3.* (9) communes preces, *Act. 1, v. 14.* Paulinas verò prohibitiones, *1. Tim. 2. v. 12. & 1. Cor. 14. v. 34. seq.* limitatè ad subjectam materiam intelligendas esse contendit, nempe de illis, qvæ Spiritum S. nondum acceperunt, sed irretitæ etiamnum hujus mundi vanitatibus admonitione Apostolicâ indigent pudoris & modestiæ addiscendæ, & de aurei mundi & margaritarum luxuriâ evitandâ, *1. Tim. 2. v. 9.* de iis qvæ confusè omnia agebant, qvæq; etiamnum institutione indigentes sub lege erant, non sub æterno Evangelio. Qvæ omnia tamen ad rem illam conficiendam minimè sufficiunt. Nam qvòd gratia Evangelica etiam ad mulieres pertineat, qvod unum plerisq; illis argumentis dicitur, omnes facilè largimur, etiam qvòd docere & prodesse possint, debeantq; pro renatâ, qvod postremis argumentis continetur; illud tantùm qværitur; an & in publicâ ecclesiâ inter virorum consessûs docere debeant? id qvod Qvakeros probare oportuit.

§. 14. Prohibitiones Pauli, ne mulieres in ecclesiâ loqverentur, omnis semper Christianorum ætas religiosè observavit, & si qvibus hæreticorum deliriis vel qvâvis aliâ fidelium etiam immodestiâ hîc peccatum est, conatûs illos fortiter repressit. Arguit id in Pepuzianis Epiphanius

hær.

hær. 49. qvòd mulieres episcopos habeant & presbyteros nullo sexûs discrimine observato, propterea qvòd *in Christo Jesu neq; mas sit neq; fœmina, Gal 3. v. 28.* qvos eosdem procul dubio etiam innuit Tertullianus cum de *præscript. cap. 41. ipsæ mulieres*, inqvit, *hæreticæ, qvàm procaces, qvæ audeant docere, contendere, exorcismos agere, curationes repromittere, forsitan & tingere.* Extat eâ de re etiam *c. 70. Trull.* μὴ ἐξέστω ταῖς γυναιξὶν ἐν τῷ καιρῷ τῆς θείας λειτουργίας λαλεῖν, ἀλλὰ κατὰ τὴν φωνὴν παύλου τοῦ ἀποστόλου σιγάτωσαν *ne liceat mulieribus tempore divinæ liturgiæ loqvi, sed secundùm vocem Pauli Apostoli taceant.* Qvæ occasio Patres ad illum canonem condendum moverit, non satis liqvet. Balsamon putat fuisse qvasdã, qvæ τὸν τότε καιρὸν ἀνάγνωσιν θείων γραφῶν ὑποκρινόμεναι, ἐκκλησιάζειν ἐπεχείρουν τὰ πολλὰ, καὶ πρὸς ἐρωτήσεις καὶ ἀποκρίσεις ἑτοιμάζεσθαι *eo tempore lectionem S. literarum fingentes* (vel *interpretatæ*, utroqve enim modo verti potest) *populum ad se advocare plurimum susceperint, & ad interrogationes ac responsiones se comparare.* Qvæ etsi mera conjectura est, fundatur tamen procul dubio in eodem more privati in publico exercitii, de qvo *suprà §. 3.* ex Cyrillo Hierosol. monuimus, qvippe qvi eodem loco ita cavet: καὶ ὁ σύλλογος πάλιν ὁ παρθενικὸς οὕτω συνειλέχθω ἢ ψάλλων ἢ ἀναγινώσκων, εὐχῇ. ὥστε λαλεῖν μὲν τὰ χείλη, μὴ ἀκούειν δὲ τὰ ἀλλότρια ὦτα. Γυναικὶ γὰρ λαλεῖν ἐν ἐκκλησίᾳ οὐκ ἐπιτρέπω. καὶ ἡ ἐν γάμοις δὲ ὁμοίως μιμείσθω καὶ προσευχέσθω καὶ τὰ χείλη κινείσθω, φωνὴ δὲ μὴ ἀκουέσθω *etiam conventus virginum ita colligatur aut canens aut legens precatione tali, qvâ loqvantur qvidem labra, non verò audiant alienæ aures: mulieri enim loqvi in ecclesiâ non permitto. Idem pariter & illa, qvæ conjugata est, imitetur, & precetur ut moveantur labra, vox non audiatur.* Nisi fortè dixeris Balsamonem ad diaconissas respicere, qvarum potestas hoc canone contracta sit. Nam illis docendi officium disertè permittit *c. 12. Carth. IV.* qvi apud Caranzam ita sonat: *Viduæ vel sanctimoniales, qvæ ad ministerium baptizandarum mulierum eliguntur, tam instructæ sint ad officium, ut possint apto & sano sermone docere imperitas & rusticas mulieres tempore qvo baptizandæ sunt, qvaliter baptizatori interrogatæ respondeant, & qvaliter accepto baptismate vivant.* Has enim muliebres scholas pro catechumenis extra tempus publicæ liturgiæ instituendas fuisse, sive domi, sive in sueto synaxium loco, qvisqve intelligit: nec nisi per castigandum optimo jure abusum officii fieri potuisse, ut ille

inter solemnia ecclesiæ sacrà susurrus fieret. Ulterius qvòd ulla mulieris licentia in ecclesiâ catholicâ ascenderit vero simile non est.

§. 15. In causam ipsam Apostolici interdicti si inqviramus, aperta est utroq; loco, qvòd nempe mulieribus competat ὑποτάσσεσθαι, virorum in se imperium agnoscere, factâ provocatione ad legem, *Gen. 3. v. 16.* & rationem legis, ordinem scil. creationis, ab Adamo incipientem, atq; originem peccati in Evâ factam. Pendet ab hac subjectione non tantùm domesticum familiæ regimen, sed & publicum: neqva ipsis in civitate aut ecclesiâ munia conferantur, qvibus aut mares regantur, aut lædatur modestia in eâ qvæ paret reqvisita. Ex eâdem subjectione provenit pudor, præcipuum sexûs fœminei decus, qvi facilè exuitur, ubi publicè dicendi facultas datur. In doctore qvippe nascitur scientiæ præsumtio, qvæ inflat, teste Apostolo *1. Cor. 8. v. 1.* Cumq; imperium mariti in uxorem svavius esse debeat, qvod solo ferè pudore continetur, *Eph. 5. v. 28. seq.* magis interest illum in muliere non negligi, qvàm in servo, qvi asperioribus mediis cogitur, unde faciliùs hujus (& sic qvoqve filii aut humilioris cujusvis) subjectio patitur ut coram domino aut honoratioribus dicat, qvàm illius, ut coram marito vel aliis maribus. Qvæ ratio etiam civilium legum conditores impulit, ut neqve causas agere neqve alia civilia munia obire mulieribus permitterent, in ipsis etiam privatis contractibus illarum potestate multùm accisâ, ut Balsamon l.c. monet: eadem nos in causâ Ecclesiæ magis movere debet, qvòd Apostolicâ auctoritate confirmetur. Elumbe est effugium Qvakerorum, qvòd Paulus ad eas tantùm mulieres loqvatur, qvæ correctione indigeant; nam propterea sanè corrigendæ erant, qvòd loqverentur publicè, vel loqvi tentarent; de omnibus loqvitur fœminis Paulus, non de qvibusdam, nec de aliâ turbatione sacrorum, qvàm qvæ & in maribus corrigenda erat, & illi tamen qvi neglecti ordinis ac neglectæ charitatis rei aguntur, *1. Cor. 14. v. 1. 12. 30. 33. 40.* nihilominis loqvi permittuntur *v. 29. 31.* hæ verò, qvarum nullus præ ceteris error notatur nisi hæc ipsa loqvela publica, etiam tacere jubentur *v. 34.* atqve tam à maribus iram & dubitationem removet, *1. Tim. 2. v. 8.* qvàm à fœminis delicatiorem ornatum *v. 9.* Qvin & de iis fœminis loqvitur, qvæ sunt Φαινόμεναι θεοσέβειαν *religionem DEI doctæ vel docentes* (prout verbum vel passivâ vel mediâ formâ intelligere placet) *v. 10.* Nec obstat, qvòd jubeantur discere ac interrogare: nam & maribus scripsit Paulus has epistolas ut discerent, & prophetas à prophetis voluit audiri. Deniqve qvâcunqve

qve virtute Spiritûs S. prædítæ fuerint mulieres, non tamen primævæ legis obligatio & officium ὑποταγῆς in illis ceſſat, niſi fortè apud Qvakeros aliud eſt domeſticum regimen.

§. 16. Imperatum qvidem hoc mulieribus ſilentium non ultrà protendimus, qvàm ratio legis locum habet, id eſt, pudor & reverentia maſculini ſexûs id reqvirit, ita ut privatis in conventibus, ubi mares non adſunt ad docendum idonei, & ipſas docere poſſe largiamur. Nam & ipſos mares docere poſſunt, cum major ſit charitatis atq; neceſſitatis qvàm ordinis obligatio. Agnoſcimus & mulieres ſpectare ad eccleſiam, ut ſint genus electum & regale ſacerdotium ad annunciandam virtutem ejus à qvo ad lucem vocatæ ſunt, *1. Pet. 2. v. 9.* unde cum *Epiph. hær. 79.* contra Collyridianos ſcribit : *θεῷ μὲν ἀπ' αἰῶνος οὐδαμῶς γυνὴ ἱεράτευσεν apud Deum ab orbe condito nunqvam mulier ſacerdos fuit*, de publico, non privato ſacerdotio intelligendus eſt. Attamen nec extraordinarium chariſma ordinem & reverentiam ſexûs citra manifeſtam neceſſitatem immutat. Ita donum propheticum nactæ ſunt & in V. & N. T. plures, non, ne omninò illo uterentur, nec ut in publico uterentur, ſed ut domi & erga ſingulos conſultantes, vel ad plures ſi ſint veritatis indigi. Hanna *Luc. 2. v. 38.* locuta omnibus eſt, ſed an iis in turbam collectis, non additur, nec etiam facilè præſumitur, cum omnibus ad ſe ſucceſſivè venientibus loqvi potuerit. Debora politicum officium geſſit, cum judicaret populum *Jud. 4. v. 5.* non utiqve cum gloriâ Iſraëliticæ gentis, qvòd nullus inter eos eſſet ſapiens. Priſcilla donum propheticum fortè non nacta juvit maritum in hoſpite inſtituendo, *Act. 18. v. 26.* ſed qvòd cum adeſſet maritus ſe magiſtram præbuerit, non legimus, qvæ alternis vicibus abſente marito has partes poteſt expleviſſe. Deniqve adjutrices ſi fuerunt fœminæ Apoſtolis, ut dicitur *Rom. 16. v. 3.* non publicâ ſed privatâ operâ fuerunt, miniſterio vel victûs vel aliorum id genus officiorum potiùs qvàm verbi divini annunciati, διάκονος fuit Phœbe, etiam Paulo, utiqve ab ore ejus non pendenti, & προστάτις, v. 1. & 2. ſed eo ſenſu, qvo & ipſi jubet Paulus, qvo eget, παραστῆναι. Qvæ autem *Phil. 4. v. 3.* laudantur mulieres, cum Paulo in Evangelio συναθλήσασαις *pariter decertantes*, incommoda ejus causâ ſuſtinerunt, non prædicatione publicâ operam illi conjunxerunt.

§. 17. Sed ut muliebris dicendi libertas *1. Cor. 14.* diſertis verbis inhibetur, ita communi marium privilegio non leve præſidium in eo capite videtur

dari, cum Apostolus disertè provocet qvemqve *v. 26.* qvi psalmum, doctrinam, linguam habeat, revelationem aut interpretationem, ut id proferat ad commune bonum, & *v. 29.* ut prophetæ duo aut tres loqvantur & *v. 31.* sigillatim omnes prophetare permittat. Et qvia qvod h. l. instituit Paulus, ut exemplar Apostolicum publici in ecclesiâ ordinis omnes intuentur, operæ pretium est, ut qvid hic factum sit, aut Apostolus fieri voluerit, diligentiùs perpendamus. Magnam atqve illustrem Corinthi collectam esse ecclesiam DEI, ipsum nos docet oraculum divinum, qvod ad Paulum ita fatur: *populus mihi multus est in civitate hac; Act. 18. v. 10.* Civitas illa erat ampla & freqvens, metropolis totius Achajæ, ubi unum cum dimidio annum commoratus erat Apostolus populum docendo, *ibid. v. 11.* & multa signa ac miracula ediderat, 2. *Cor. 12. v. 12.* ita ut in nullâ re deterioris fuerint conditionis Corinthii qvàm reliqvæ ecclesiæ. *ib. v. 13.* divites facti in Christo omni sermone & omni cognitione, ita *ut nullo charismate carerent, 1. Cor. 1. v. 5. & 7.* Qvia verò ad nomen charismatum pertinebant miraculosa illa Sp. S. dona, qvæ eo tempore ecclesiam ornabant, qvalia describuntur *cap. 12. v. 8. seqq.* & omnia nomine charismatum comprehenduntur *v. 31.* sequitur omninò, qvod illis hæc ecclesia supra plures alias copiosè fuerit dotata. Hac tamen elati DEI erga se bonitate *cap. 4. v. 6. seq.* ut memores licet Apostoli, & traditæ omnis alius disciplinæ, qvam ab ipso acceperant, observatores, *cap. 11. v. 2.* qvosdam non leves abusûs invexerant, ut carnales dicerentur, *cap. 3. v. 3.* in partes divisi, *v. 4.* incestuosum apud se tolerarent, *cap. 5. v. 1.* ad tribunalia ethnicorum lites suas deferrent, *cap. 6. v. 1.* festinâ consecratorum præceptione eucharisticum sacramentum turbarent, *cap. 11. v. 21.* confusum haberent dicendi, etiam ignotis lingvis, modum *cap. 14. toto.*

§. 18. Qvòd hæc confusio, qvam postremò nominamus, inde orta sit, qvòd ecclesia maximam partem ex ethnicis conflata sit, qvi sedatum illum colendi Deum morem non æqvè discere potuerint, ac judæi, à qvorũ Synagogis ecclesiasticæ synaxes minùs discrepabant, incerta ex pseudambrosii commentario Dalii conjectura est, *Outh. van't alleen Spr. p. 97. 98.* Uter major numerus gentiumne an judæorũ in illâ urbe ad fidem conversus sit, non liqvet, cum & Crispum archisynagogum ibi conversum esse legamus, *Act. 18. v. 8.* & ex judæis Româ pulsis etiam ecclesiam adauctã, *ib. v. 2.* Multò minorem probabilitatem habet, qvod non obscurè supponit Pontanus *p. 24.* qvòd eo tempore nondũ episcopis vel presbyteris ecclesia hæc instructa fue-

fuerit; cum enim Apostolus alibi in eâ re diligens fuerit, qvi id hoc tàm illustri loco omisisset, qvi qvàm sibi præ ceteris curæ fuerit, non uno loco prodit? Si verum est, qvod scripsit Clemens Rom. epist. ad Corinth. qvòd Apostoli prædicato per urbes & regiones evangelio καθίστανον τὰς ἀπαρχὰς αὐτῶν δοκιμάσαντες τῷ πνεύματι εἰς ἐπισκόπους καὶ διακόνους τῶν μελλόντων πιστεύειν *constituerint primitias credentium per Spiritum S. probatas, ut essent episcopi & diaconi eorum qvi crediturі erant*, uti exemplum habemus in domo Stephanæ, *1. Cor. 16. v. 15.* illam primam non ultimam esse curam oportuit, ex qvo in peculiare corpus fideles colligebantur, ut hic ecclesiæ ordo introduceretur. Certè inter reliqvas diaconias etiam doctores Corinthiis fuisse, non obscurè indicat, *cap. 12. v. 28.* Rectiùs prævio ipso Paulo illam confusionem superbiæ adscribimus, *1. Cor. 4. v. 6. seqq.* qvâ qvisqve charismata miraculosa qvibus pollebat, ostentare in publico voluit. Propterea enim simile à membris humani corporis adducit Apostolus, qvorum qvæ videntur inhonestiora in majore habeantur reverentiâ, *cap. 12. v. 23.* charitatemqve dilaudat, qvæ non sit invida, procax aut fastuosa, *cap. 13. v. 4.* docetqve qvòd scientia & prophetia nostra tantùm *secundùm partem* sit, & cessatura, *v. 8. 9.*

§. 19. Synaxes, in qvibus hæc confusio accidit, fuerunt publicæ: qvandoqvidem omnis qvæ in unum convenit ecclesia instruitur *cap. 14. v. 26.* & tales qvidem qvæ ad exercitium cultûs divini pertinebant, ut patet ex *v. 4. 12. 16. &c.* Qvæqvia procul omni dubio non aliæ fuerunt, qvàm de qvibus *cap. 11. v. 18. & 20. 21.* Apostolus loqvitur, cum Corinthios redarguit, qvòd *qvisqve propriam cœnam præsumat in edendo, & alius qvidem esuriat, alius ebrius sit*; videntur nonnullis ad agapas veterum pertinere. Ita *Cornel à Lapide in h. l.* hymnos & expositiones S. Scripturæ à duobus vel tribus prophetis factas post prædicationem episcopi & communionem S. Eucharistiæ sub initium & finem agaparum ponit, adducens descriptionem hujus convivii à Tertuliano factam, *cap. 39. Apologet. Non priùs discumbitur qvàm oratio ad DEUM prægustetur: editur qvantum esurientes capiunt, bibitur qvantum pudicis est utile; ità saturantur, ut qvi meminerint, etiam per noctem adorandum DEUM sibi esse. Ità fabulantur, ut qvi sciant Dominum audire. Post aqvam manualem & lumina, ut qvisqve de Scripturis Sanctis, vel de proprio ingenio potest, provocatur in medium DEO canere: hinc probatur qvomodo biberit. Æqvè oratio convivium dirimit.* Celebris est agaparum in antiqvitate mentio, etiam in epistolâ

Judæ *v. 10.* ut & nomine ipso Apostolicæ illas ætatis esse pateat, qvas liberalitatis, *1. Tim. 5. v. 10.* & primæ bonorum communionis, *Act. 2. v. 44. seq.* commendatio adinvenit. Qvarum ut disciplinam Tertullianus verbis citatis, ita omnem causam Chrysostomus *homil. 27. in 1. Cor.* hisce complectitur: κοινὰς ἢ ποιοῦσι τὰς τραπέζας ἐν ἡμέραις νενομισμέναις, ὡς εἰκὸς, καὶ τῆς ζυνάξεως ἀπαρξαμένης μετὰ τὴν τῶν μυστηρίων κοινωνίαν ἅπαντες ἤεσαν ἐπὶ κοινὴν πάντες ἤεσαν ἐπὶ κοινὴν πάντες ἤεσαν ἐπὶ κοινὴν πά

ferebant, & post communionem qvæcunqve de sacrificiis superfuissent, illic in ecclesiâ communem cœnam comedentes pariter consumebant. Estius tamen in h. l. & ex eo Dallæus *de obj. cult. relig. l. 2. cap. 19.* alterius Salmasii sententiæ omnes Patres Latinos patronos faciunt, eandemqve ipsi amplectuntur, rationibus qvoqve qvibusdam, sed qvòd ex falsâ hypothesi descendant parùm firmis, munitam. In illâ autem partium differentiâ certus tamen ille est consensus, qvod tàm Apostolicâ qvàm seqventis ecclesiæ ætate uno eodemqve conventu, immediatâ utriusqve convivii conjunctione & agaparum epulæ & eucharistici sacramenti communio facta sit, ejusqve rei tanta est Dallæo ἀσφάλεια de omnium veterum ac recentiorum consensu glorianti, ut etiam indignetur Albaspinæo, qvòd timidè atqve dubitanter id concesserit.

§. 21. Veruntamen si omnia accuratiùs perpendimus, qvæ in hanc rem afferri solent testimonia, non absterrebit nos jactatus ille Doctorum torrens, qvin hujus sententiæ veritatem, & an omnino ullus unqvam certo statoq; more utriusq; convivii nexus fuerit, aut agapæ publico totius ecclesiæ nomine unqvam institutæ vel publicorũ sacrorum pars fuerint, in dubium vocare, & pro parte etiam negativâ qvæstionem decidere liceat. Qvotidianas ἀγαπάς sub initium ecclesiæ Apostolicæ fuisse κατ' οἶκον divisas, nec certis legibus adstrictas, ex *Act. 6. v. 1.* clarum est, ubi helleniſtæ qveruntur, qvòd viduæ suæ posthabeantur, & qvamvis tum ex *cap. 2. v. 46. seq* tum ex zelo recentis fidei colligere possimus, qvòd earundem ædium convivæ ut sacris aliis exercitiis ac communibus precibus vacaverunt, ita & eucharistiæ sacra iisdem locis celebraverint, hæc tamen combinatio casûs potiùs vel necessitatis qvàm consilii res fuit, cum templi Synagogarumve publicum usum ad Sacramentalem actionem non haberent. Qvòd idem in solemnem morem versum sit, ut postqvam ecclesia de apto colligendi loco sibi jam prospexerat, etiam fieret, non magis inde concludere licet, qvàm hodie ex prandio fortè presbytero atqve amicis præsentibus dato post domesticam ægrotorum communionem, publicè ad communionem sacramentalem annexas agapas apud nos esse, concludi potest. Neqve ibimus inficias, qvòd & post Apostolorum tempora tam à pransis & cœnatis qvàm à jejunis eucharistiæ sacramentum celebratum sit, ut ex *Tertull. cap. 3. de Cor. mil. & Cypr. epist. 63.* colligit Dallæus, de annuo autem cœnæ Dominicæ die disertiùs testatur *August. ep. 118. ad Januar.* At neqve hæc testimonia rem de qvâ qværimus conficiunt.

ciunt. Primùm qvidem Tertullianus traditionum obſervationem etſi non ſcriptarum, demonſtraturus, *euchariſtiæ Sacramentum*, inqvit, *& in tempore victûs & omnibus mandatum à Domino, etiam antelucanis cœtibus nec de aliorum manu qvàm præſidentium ſumimus.* Ubi palam eſt qvòd traditionis eſſe velit, ut euchariſtia antelucanis cœtibus celebretur; qvòd verò præterea & tempore victûs ſit celebrata, ex particulâ conjunctivâ *etiam* non æqvè conſtat, qvippe qvæ alia qvidem tempora minùs certò omnem cibum antecedentia includit, non autem præcisè tempus cœnæ aut veſpertinum, qvo à Chriſto illud Sacramentum inſtitutum erat. Qvod & agnoſcit Larrogve *part. 1. hiſt euch. cap. 10. p. 209.* etſi aliàs cum Salmaſio conſentiens. Cyprianus objectionem aqvariorum ſibi his verbis formans; *an illâ ſibi aliqvis contemplatione blanditur, qvòd etſi manè aqvaſola offerri videtur, tamen cum ad cœnandum venimus, mixtum calicem offerimus?* morem illum qvidem videtur agnoſcere, ut cum ad cœnandum venitur, calix offeratur, præſertim cum pro reſponſione nil niſi illud Sacramentum publicum non eſſe cauſetur: *ſed cum cœnamus ad convivium noſtrum plebem convocare non poſſumus, ut Sacramenti veritatem fraternitate omni præſente celebremus.* Verùm ut occupatio illa excuſationis aqvariæ ex ingenio ipſo Cypriani nata eſſe potuit, qvi non tam qvid illi dicerent, qvàm dicere fortaſſis poſſent, reſpexerit, ita & reſponſio hæc ſub hypotheſi accepta docet, improbari Cypriano oblationes in cœnâ, ſi fiant, non verò qvòd factæ ſint à Catholicis, evincit. Auguſtinus *l. c.* ſatis prodit, qvòd oblatio veſpertina ſuo tempore qvotannis publicè facta ſit, epulæ verò aliæ privatim, qvando non tantùm jejuniũ prandiumve iſto die promiſcuè aliis atq; aliis electum eſſe, eoq; conſilio binas fieri ſolere oblationes dicit, ut utrisqve conſuleretur, ſed & definiturus tempus æqve utriqve commodum, *honeſtius illam eâ horâ fieri* arbitratur, *ut qvi etiam jejunaverit, poſt refectionem qvæ horâ nonâ fit, ad oblationem poſſit occurrere.* Qvod *occurſûs* vocabulum arguit diſtinctionem loci, qvòd ex ſuis qvisqve ædibus, ubi cibum ſumſerat, *in* templum ad euchariſtica ſacra confluxerit. Sicut & verbis præcedentibus dicit *ead. epiſt. neqve qvia poſt cibos dedit Dominus, propterea pranſi aut cœnati fratres ad illud ſacramentum accipiendum convenire debet.* Qvæ ſi ad agapas pertinerent, ut non nullis viſum eſt, illarum ab epulo ſacramentali disjunctionem apertè evincerent.

§. 22. Fuiſſe autem utramqve ſolennitatem & loco & tempore & auctoritate indicentium à ſe mutuò ſejunctiſſimam, canones omnes atqve

ãtqve monumentã veterum loqvuntur. De locõ qvidem ãpertã est sanctio c. 28. Laod. ὅτι οὐ δεῖ ἐν τοῖς κυριακοῖς ἢ ἐν ταῖς ἐκκλησίαις τὰς λεγομένας ἀγάπας ποιεῖν καὶ ἐν τῷ οἴκῳ τοῦ θεοῦ ἐσθίειν καὶ ἀναπίπτα στρωννύειν *non oportere in dominicis seu ecclesiis ita dictas agapas facere, aut in domo DEI edere & accubitûs sternere.* Qvod iisdem ferè verbis repetit *c. 74. Trull.* sic etiam *c. 42. Cod. eccl. Afric.* qvi est *30. Carthag. III.* apud Caranzam: *ut nulli episcopi vel clerici in ecclesiâ conviventur, nisi fortè transeuntes hospitiorum necessitate illic reficiantur, populi etiam ab hujusmodi conviviis qvantum fieri potest, prohibeantur.* Scimus, esse qvi agapas omnes hisce canonibus abrogari arbitrantur, inter qvos est *Joh. Bona liturg. lib. 1. cap. 1. §. 4.* sed non attendunt illi, qvòd eodem Laodiceno concilio canone immediatè præcedente agapæ probentur, qvem mox adducemus; & qvòd Augustinus, qvi Carthaginensium synodorum magna pars fuit, *lib. 20. contr. Faust. Manich. cap. 20.* illas pariter laudet. Neq; est qvòd ex his prohibitionibus priscum convivandi in ecclesiâ morem publicè receptũ cum Justello nobis imaginemur, qvi tunc demum sublatus sit: qvippe licèt tale qvid factũ esse, qvod prohibetur, neq; prohibendi nullam occasionem fuisse moribus hominum datam, facilè intelligamus, sufficit tamen abusum aliqvem paucis exemplis irrepsisse, qvi maturè supprimi debere visus sit, unde etiam repetitio ejus sanctionis facta est *c. 74. Trull.* utiqve non ad morem ecclesiæ semel sublatum iterum tollendum, sed ad irrepentem denuo privatorum licentiam, templa tanqvam loca capaciora lubenter ad eam rem occupantium, cohibendam.

§. 23. De tempore apertum est testimonium Plinii *lib. 10. ep. 97. ad Traj.* cujus verba plerumqve ab interpretibus, nec sine causâ, de agapis accipiuntur: *qvibus* (sacris) *peractis morem iis* (Christianis, de qvorum, religione ex ancillis qvæsiverat) *discedendi fuisse, rursusqve coëundi ad capiendum cibum promiscuum & innoxium.* Qvod autem hoc posteriore conventu eucharisticum sacramentum celebratum sit, non priore, Salmasii est temerè conficta glossa. Aliter sanè Justinus *Apolog. 2.* cultum divinum apud Christianos describit, cum sermoni & precibus præsulis immediatè eucharisticum sacramentum subjungit, de agapis verò omnino tacet. Nec videmus qvæ reverentia sacris publicis servari potuerit, si eodem tempore cœnæ ibi apparatus factus mensisq; & lectulis omnia strata sint. Etenim stationes, qvæ fiebant in sacris, & traditio de genu non flectendo intra pascha & pentecosten, & accessio ad altare licita aut prohi-

bita, & qvæcunqve alia de ordine missæ & structurâ templorum apud veteres occurrunt, hunc apparatum mensarum communiũ omnem necessariò excludunt. Ipse etiam Paulus hoc ipso loco, ubi agapæ ab interpretibus qværuntur, communes epulas ab eucharisticis loco atqve tempore qvàm disertissimè vult esse distinctas, cum in ecclesiâ DEI epulari indignum æstimat, *v. 22. annon habetis domos ad edendum & bibendum? aut ecclesiam DEI contemnitis?* Consentit in hac re *Zonaras ad c. 11. Gang.* morem veterum sic exponens qvòd soliti sint μετὰ τὴν τῶν ἁγιασμάτων μετάληψιν συνέρχεσθαι καὶ συνεσθίειν *post participationem sacrorum unà convenire ad communes epulas.* & ipse Chrysostomus *l. c. & peractâ synaxi omnes ad commune NB. ibant convivium.*

§. 24. De auctoritate, qvâ agapæ indictæ sunt, testatur *c. 27. Laod.* ὅτι οὐ δεῖ ἱερατικοὺς ἢ κληρικοὺς ἢ λαικοὺς καλουμένους εἰς ἀγάπην μέρη αἴρειν *qvod non oporteat viros sacerdotales* (*i. e.* episcopum & presbyteros) *aut clericos* (minores) *aut laicos vocatos ad agapem partes tollere* (seu, *domũ inde auferre*) ubi non tantùm peculiaris innuitur ad agapem vocatio, qvæ non pendeat à convocatione communis synaxeos ecclesiæ; sed & ipse episcopus, inter vocatos numeratur non vocantes, ut intelligas privatos fuisse, qvi alios vocare soliti sunt. Qvod magis etiam patet ex *c. 11. Gangr.* εἴ τις καταφρονοίη τῶν ἐκ πίστεως ἀγάπας ποιούντων καὶ διὰ τιμὴν τοῦ κυρίου συγκαλούντων τοὺς ἀδελφοὺς, καὶ μὴ ἐθέλοι κοινωνεῖν ταῖς κλήσεσι διὰ τὸ ἐξευτελίζεειν τὸ γινόμενον, ἀνάθεμα ἔστω *si qvis contempserit eos qvi ex fide agapas faciunt, & propter DEI honorem fratres convocant & nolit vocationibus communicare, qvoniam id qvod fit vilipendit, anathema sit.* Ubi illi fratres, qvi agapas suis sumtibus adornant, etiam convivas advocare dicuntur, nec publica auctoritas sed privata fides sperni dicitur ab illo, qvi adesse in tali convivio nolit. Cum & *c. 30. Carth. III.* cavetur, ut *populi etiam ab hujusmodi conviviis* (in æde sacrâ instituendis) *qvantum fieri potest prohibeantur*, certum est præter communem ecclesiæ consensum & in sciis sæpe episcopis illa facta esse. Nihil igitur de agapis illis veterum cogitare possumus augustiùs, qvàm qvòd amplissima convivia, sed illa tameu frugalia, domibus plerumqve suis instituerint opulentiores, ad qvæ magnam partem fidelium cujusqve loci convocarint, qvando lubitum esset, ut & communi se charitate magis devincirent & erga pauperes liberalitatem ostenderent: cujusmodi moris & inter Judæos recepti mentio est apud *Joseph. l. 14. antiq. c. 17.*

§. 25.

§. 25. Diverticulum hoc satis longum facere oportuit, ut doceremus synaxin hanc Corinthiacam, in qvâ tanta facta est boni ordinis confusio, de agapis explicari non posse. Etsi enim veteres qvoqve scriptores plurimi illas in hoc textu Apostolico qværunt, non ex sui tamen seculi more aut majorum memoriâ illam interpretationem hauserunt, sed ex eâdem causâ, qvæ hodie qvoqve plures in errorem inducit, qvòd nempe crediderint, abusum illum præreptarum ab esurientibus portionum in agapas facilè cadere potuisse, in sacramentum verò non item. Nempe ut qvisqve ex suo more atqve ingenio vetera judicat, ita etiam iis, qvi didicere non ex alius qvàm præsidentium manibus eucharistiam parvulâ portione sumere, eò magis illa supra omne talis abusûs periculum videtur posita esse, qvò majori ejus religioni atqve reverentiæ assveti sunt. Contra etiam Calviniani & alii sectarii qvi ad mensam assidentes communicare de sacris Symbolis amant, eò magis religionem latinorum confundi posse putant, si Apostolicæ cœnæ has epulas communi convivio admixtas fuisse ostendant. Sed si citra præjudicium rem intuemur & præcipuè clausulam Apostoli *v. 33. seq.* satis patet, qvòd ipse non nisi de eucharistiâ loqvatur, nec alium in Corinthiis abusum arguat, qvàm qvòd post consecrata proposita dona (qvæ qvisqve obtulerat, cum nondum dos ecclesiæ esset, unde publici sumtûs fierent) non expectarint omnes ut ordine fieret in singulos distributio, sed ut qvis portionem à se oblatam dignovit, festinabundus resumserit sibi suisqve absumendam, ut adeò pauperiores qvi nihil ad altare obtulerant, non sine rubore ipsis incusso oportuerit etiam sacramenti participatione carere. Neqve jubet Apostolus expectare eosqvi serò venerant, sed ordinem distributionis, ut & illi qvi nihil habebant, qvod afferrent, partem acciperent. conf. *Balduin. in h. l.* Si autem capite undecimo nulla agaparum mentio est, neqve decimo qvarto esse potest, cum de eâdem utrobiqve agatur synaxi, ita continuo sermone, ut interjecta duodecimum & decimum tertium capita, ad ea qvæ hoc decimo qvarto dicuntur tantùm præparatoria sint, nec duplicis synaxeos ullum vel levissimum in textu fiat indicium. Atqve ita qvæ de duobus vel tribus vel pluribus prophetantibus hoc loco dicuntur, ad colloqvia qvæ super mensâ fiunt minimè pertinent, sed ad solennia ecclesiæ sacra & publicam verbi divini prædicationem.

§. 26. Qvod in hac synaxi Corinthiorum Paulus reprehendit, est confusus dicendi ordo. Ita enim ex correctione factâ peccatum illorum inno-

notescit, (1) qvòd peregrinum idiomà creberrimè sonuerint, *à v. 1. ad 28.* (2) qvòd plurium qvàm unius vox eodem tempore sæpiùs audita sit, *v. 27. 30. 31. 32.* (3) qvòd & mulieres publicè locutæ sint, *v. 34.* An verò omnis generis sive viri sive mulieres publicam vocem ediderint, ex verbis Apostoli non constat. Non omnem penitùs ordinem sublatum esse, ut in cyclopum republicâ οὐδεὶς οὐδενὸς οὐδὲν ἀκούει, vel inde patet, qvòd fuerit etiam qvi impleverit locum idiotæ, ut ad dictas DEO publicè gratias AMEN resonaret, *v. 16.* Qvòd non omnes peregrinis linguis locuti sint, vel ex *cap. 12. v. 30.* clarum est; qvod nec omnes prophetaverint, *ib. v. 29.* indicat, *an omnes prophetæ?* ut & votum *cap. 14. v. 5. velim omnes vos loqvi lingvis, maximè vero ut prophetetis.* Qvod comma, perinde ut præcedens de linguis, non tam de actu qvàm potentiâ explicandum est. Fuit ergo etiamnum apud Corinthios ordo qvidam dicentium & docentium, sed ille non tantus qvantum Apostolus desiderat. Qvi Apostolicæ adhortationis finis contrarius est ei, qvem sibi propositum habent Collegiati, qvi adstrictam hactenus in ecclesiâ libertatem cupiunt dissolvere, cum Paulus immodestiùs solutam voluerit adstringere. Qvùm autem præter mulierum ab hoc privilegio exclusionem nullum Apostolus discrimen ponit inter eos, qvos loqvi aut tacere deceat, qvàm qvod jam tum à Corinthiis observatam erat, sed plures tantum promiscuè loqventes in ordinem cogit, seqvitur nullum hic pro laicâ libertate sperari posse testimonium, nisi jam antè illos hanc sibi usurpasse demonstretur. Sic & qvod *v. 26.* dicitur: *Cum convenitis, qvisqve vestrum psalmum habet, doctrinam habet, linguam habet, revelationem habet, interpretationem habet, omnia ad ædificationem fiant*, non ad libertatem ipsam sed ad modum & finem illa proferendi pertinet; ideoqve ad eos tantùm, qvi talia proferre jam antè solebant & inde denominationem acceperant, nempe doctores, prophetas & linguarum interpretes, juxta *c. 12. v. 10. & 28.* & cum duos vel tres loqvi permittit *v. 29.* disertè id ad prophetas adstringit: *prophetæ duo aut tres loqvantur.*

§. 27. Omnis itaq; difficultas sita est in explicatione vocis *prophetiæ*, qvam qvidam de qvovis docendi officio & S. literarum explicatione interpretantur, alii de divino afflatu, & rerum sibi ita revelatarum prolatione. Prioris sententiæ est bona pars interpretum, posterioris etiam plures, in qvibus conf. & Gerhardus *L. de Min. Eccl. §. 226.* & Balduinus *in h. l. qvæst. 1.* Agitant hanc causam præcipuè *Klinckhamer apolog. p. 48. seq.* & Langedult.

antiq.

antiq. libert. p.9. seqq. qvi priorem sententiam defendunt, & Dalius *hist. off. præd.p.38. seqq.* qvi posteriorem tuetur. Pro illâ hæ afferuntur rationes (1) qvod vox ista & etymologiâ & usu qvamvis publicam prædicationem denotet, *Ex. 7.v. 1. Judith.6.v.2. 1.Reg.18.v.29. 1. Par. 26. v. 1.* unde & poëtæ nomen illud aptetur *Tit. 1. v. 12.* & testimonium Jesu dicatur spiritus prophetiæ *Apoc. 19. 10.* (2) qvòd prophetantes hoc loco distinguantur ab iis qvi ignotâ lingvâ loqvuntur (cum qvo tamen charismate divinus afflatus concurrat, vel concurrere saltim possit) *v. 5.* & definiantur per eos qvi ad ædificationem loqvuntur *v. 3.* & mente seu sensu *v. 15. & 19.* (3) qvòd idem charisma humanâ possit industriâ acqviri *v. 39.* probationi subjectum sit *v. 29. ut & 1. Thess. 5. v. 20. seq. 2. Pet. 2. v. 1. Matth. 7. v. 15.* & ipsi prophetæ dubium *v. 37. h. cap.* (4) qvòd prophetia distingvatur à revelatione, *v. 6.* (5) qvòd prophetia promiscuè omnibus concedatur, *v. 5. & 31.* (6) qvòd mulieribus etiam qvæsituris, & sic revelatione divinâ nullâ instructis, speciatim loqvendi libertas adimatur, argumento manifesto viris omnibus eandem concessam esse. Pro posteriore sententiâ hæc adducuntur fundamenta (1) à perpetuâ prophetarum à doctoribus distinctione, *Matth. 21. v. 26. Luc. 7. v. 39. Act. 15. v. 32. 1. Cor. 12. v. 28. seq. Eph. 4. v. 11.* consentientibus judæis qvi & ipsi scientiam legis & prophetiæ distinguunt (2) à generali regulâ qvòd prophetia ὃ ποτε nunqvam sit nisi à Spiritûs S. impulsu. *2. Pet. 1. v. 21.* (3) à subitâ qvæ in confessu ecclesiæ fit revelatione, *1. Cor. 14. v. 30.* (4) à manifestatione arcanorum cordis audienti factâ *v. 24. 25.* (5) à freqventiâ miraculosorum *& in his immediatæ revelationis* charismatum, qvæ fuit illis temporibus, *Act. 8. v. 17. cap. 10. v. 44. cap. 11. v. 15. it. v. 27. seq. cap. 13. v. 1. seq. cap. 19. v. 6. cap. 20. v. 23. cap. 21. v. 9. seqq.* & apud Corinthios, *1. Cor. 1. v. 7.* (6) à connexione hujus capitis XIV. cum præcedente duodecimo, ubi prophetiæ inter charismata miraculosa numerantur, *v. 10.*

§. 28. Postremum hoc argumentum omnium nobis videtur firmissimum. Nam uti, qvod suprà monuimus, eadem synaxis est, cujus *cap. XI. & XII.* mentio fit, ita eadem dona Spiritûs S. sunt, de qvibus cap. XII. orationem occipit, & cap. XIV. absolvit. Fundamentum enim duplex proponit Apostolus secuturæ admonitionis, alterum, qvòd ab uno Spiritu ad totius corporis ecclesiæ bonum fiat diribitio charismatum, ut ad hunc finem suum impendendantur, cap. XII. alterũ qvòd charitatis semper debeatur potissima haberi ratio, ante omnem usum aliorũ charismatũ. Cap. XIII.

Cohæret cum XIII capite caput XII. per v. ult. *& meliorem vos viam docebo:* cohæret hoc XIII. cum XIV. per v. ejus primum: *prosequimini charitatem:* cohæret cum XII. hoc idem XIV. per verba illius v. ult. *æmulamini charismata optima,* & hujus v. 1. *æmulamini spiritualia, maximè verò ut prophetetis.* In qvo orationis nexu omnino fieri neqvit, ut eandem hanc vocem diverso sensu usurpaverit Apostolus. Qvippe de eâ prophetiâ loqvitur, hoc *v. 1. c. 14.* qvæ inter spiritualia refertur, qvamqve inter ea numeraverat *cap. 12. v. 10. & 28.* & charitati postposuerat *cap. 13. v. 2. & 9.* de qvâ majorem propositionem his duobus capitibus formaverat: *cujus charismatis usus maximè prodest omnibus, is reliquis est præferendus;* qvippe Spiritûs S. intentioni & charitati consentaneam: de eadem & minorem subsumere oportuit *v. 3. 4. 5. 22. 24.* & tandem concludere *v. 29. 31. & 39.* Si ergo semel agnoscimus in his capitibus immediati afflatûs prophetiam intelligi, semper eandem intelligere oportet, aut non cohærebunt Apostoli verba. Reliqva argumenta hujus sententiæ qvando huic conjunguntur illi utiqve pondus addunt, seorsim autem considerata ultra probabilitatem non ascendunt. Nam (α) qvæ alibi distinguuntur vocabula, alibi possunt esse synonyma (β) Petrus speciatim de prophetiâ Scripturæ, seu eâ, qvâ S. literæ conscriptæ sunt, loqvitur (γ) revelatio etiam qvædam mediata est ex consideratione verborum Scripturæ orta (δ) manifesta redduntur arcana cordis etiam tunc, cum ipse peccator agnoscens se talem esse, qvalem oratio dicentis depingit, peccatum ejusqve oborientem animo dolorem fatetur (ε) inter freqventes afflatûs divinos etiam charismata ordinaria locum habuerunt.

§. 29. Sed nec alterius sententiæ fundamenta alicujus ponderis sunt. Qvippe qvod *ad primum* attinet, nec etymologia nec profanus usus Græcæ vocis interpretatur ejus vim inter Judæos, qvâ Hebræo נבא & נביא respondet, neqve cum per μίμησιν vel affectationem veritatis aliò trahitur, propriam significationem perdit. Sed & apud scriptores ethnicos prophetæ erant, qvi divina responsa renunciabant interrogantibus, *antistites fanorum oraculorumq; interpretes,* ut inqvit Festus, & exempla apud Plutarchum & Platonem occurrunt. Hinc Poëtis tanqvam entheo qvodam furore correptis nomen aptabatur, juxta illud: *est Deus in nobis.* Idem Baalitici sacerdotes præ se ferebant. *1. Reg. 18. v. 29.* qvemadmodum illi, qvos spiritus satanicus impleverat, *cap. 22. v. 22.* In historiâ judithæ

dithæ autem Achioris monitio per irrisionem prophetia dicebatur: sicut contrà qvi cymbalis sonabant *1. par. 26.* veri nominis & strictæ interpretationis prophetæ erant. Mosi Aaron dicitur propheta, non qvi ad Mosen sed qvi à Mose ad Pharaonem divina mandata relaturus erat, ita ut Moses Dei vices apud ipsum impleret, ipsum ablegans non minùs ac si à Deo ipso ablegatus esset, & ipse vicem prophetæ immediato afflatu impulsi. Sic tandem prophetia N. T. fuit testimonium Jesu, in sensu inadæqvato, ne tamen omne testimonium Jesu fuerit prophetia. Qvod *ad secundum* attinet. In oppositione ignotæ lingvæ & prophetiæ posterius membrum exclusivè intelligendum est; alioqvin utriusqve generis prophetia, tam illa, qvam volunt Collegiati, qvam hæc qvæ propriè talis est per immediatum afflatum, cum ignotæ lingvæ usu concurrere potest. At non de iis qvæ dicebantur, sed de modo qvo dicebantur, Paulus h. l. solicitus est, *v. 17.* & hæc causa est, qvare per loqvelam sensûs & ad ædificationem prophetia exponatur, non per omnem tamen loqvelam sensûs, sed per eam qvæ ab impulsu extraordinario Spiritûs S. est, *v. 32.* Qvod *ad tertium.* Æmulatio prophetiæ *c. 14. v. 39.* reqviritur, ut omnium charismatum meliorum, *cap. 12. v. 31.* inter qvæ procul omni dubio saltim plura erant miraculosæ vel extraordinariæ donationis. Ideoqve verbum illud ζηλῶν pro substratâ materiâ explicandum erit vel de voto & piis precibus ad illa à Deo obtinenda, vel qvod magis vero simile, de usu & exertione illorum, qvorum divinitus donatio facta, uti *2. Tim. 1. v. 6.* Paulus monet *suscitare charisma, qvod in ipso est.* Probare verò jubemur omnes Spiritûs, *1. Joh. 4. v. 1.* maxime illos, qvi divinum aliqvid præ se ferunt, *Deut. 13. v. 1.* & laudatum Berhoënsium studium, Pauli ipsius doctrinam probantium *Act. 17. v. 11.* docet qvòd nullus propheta divinus inde eximatur. Nam qvi verus sit propheta nec ne, non ipsi qvidem prophetæ dubium est, aliis tamen, anteqvam ipsorum vox examinata sit, esse potest, & illa ratio est dubitativæ locutionis *h. c. 14. v. 37. si qvis videtur propheta esse.* Qvod *ad qvartum.* Revelatio de prophetâ dicitur, *v. 30.* non à prophetia distingvitur: in *v. 6.* verò regressus est exegeticus, ut *prophetia* veniat ex *revelatione*, sicut *doctrina* ex *cognitione* (simplici & ordinariâ) Hinc *v. 26.* cum in multiplici specierum distinctione doctrina & revelatio nominantur, cognitionis & prophetiæ nulla mentio fit, qvod illæ disparatæ species non sint *Ad Qvintum.* Paulus sicut prophetiam ita etiam peregrinæ lingvæ usum optat esse universalem, qvi tamen notoriè miraculosæ donationis est: at

v. 24.

v.24.&31. si hypotheticè non loqvuntur, certè ex subſtratâ materiâ limitandi ſunt ad prophetas omnes. *Ad ſextum.* Mulieribus etiam prophetiſſis publicam dicendi facultatem ademtam eſſe oportet, alioqvin interdictum Apoſtoli univerſale locum non haberet, cum & inter Corinthios tales fuiſſe ſatis probabile ſit, ut qvæ alibi repertæ, *Act. 2. v.17. cap.21.v.9.* iis locis, qvibus Corinthiaca eccleſia non minor extitit, *1. Cor. 1. v. 7.* Qvæſtiones etiam iisdem interdixit Apoſtolus, ne vel ſub hoc ſchemate illarum vox publicè ſonaret.

§. 30. Qvia autem noſtratium pleriqve per prophetas hîc doctores eccleſiæ intelligunt, non incommodè poſſumus utramqve ſententiam combinare, qvandoqvidem credibile eſt, qvòd Apoſtoli præ ceteris illos eccleſiarum conſtituerint presbyteros ac doctores perpetuos, qvi inſignioribus pollebant chariſmatibus, tanqvam divinitùs jam ad eam rem deſignatos: conf. illud *Act. 20. v. 28. in qvo vos Spiritus S. poſuit epiſcopos.* Sic iidem Anthiochiæ & doctores eccleſiæ & prophetæ fuiſſe dicuntur, *Act. 13. v. 1.* & prophetia ac manuum impoſitio conjunguntur, *1. Tim. 4. v. 14.* Poteruntqve omnes illi, qvi vel hoc prophetiæ vel linguarum aut interpretationis dono præditi fuerunt, ad presbyterorum ordinem pertinuiſſe, majore etiam numero, qvàm vulgò in ſynagogis conſidere ſolebant, ut chariſmatis haberetur ratio. Et hanc eſſe cauſam arbitramur, qvare celebris in ſynagogis præſidentium denarius numerus, trium archiſynagogarum & trium diaconorum &c. de qvo vid. *Lightf. ad Matth. 4. v. 23.* in eccleſiis Chriſtianis nunqvam obſervatus eſſe legatur. Cornelius epiſcopus Rom. circa annum Chriſti 254. in literis ad Fabium Antiochenum ſuo tempore 46. presbyteros, ſeptem diaconos & totidem ſubdiaconos enumerat, præter alios minoris ordinis clericos, qvorum Apoſtolicis temporibus nulla mentio occurrit; cum populi tanta multitudo eſſet, ut viduæ cum infirmis & egentibus plus qvàm mille & qvingventæ alerentur. vid. *Euſeb. lib. 6. hiſt. eccl. c. 43.* Probabile qvidem eſt, fuiſſe presbyteros illos jam per titulos ſuos ſive parochias diviſos; ſed qvod non priùs illorum numerus excreverit, qvàm hæc diviſio facta, non item videtur. Ita enim titulorum diviſionem primùm factam eſſe legimus, ut presbyteris illi aſſignati, non illis presbyteri ſint, *vid. Pontif. Damaſi in vitâ Evariſti & Dionyſii.* Ponamus igitur eccleſiam Corinthiacam tempore Apoſtoli ad Romanæ freqventiam, ut tempore Cornelii fuit, in ſubtriplâ ratione fuiſſe (qvòd facilè concedet, qvi promiſſam in eâ urbe divitem meſſem

Act.

Act. 18. v. 10. ad subitum conversorum numerum Hierosolymis ortum, ipso die Pentecostes 3000. *Act. 2. v. 41.* & mox 5000. millium *cap. 4. v. 4.* comparaverit) & qvindecim tunc vel sedecim presbyteros Corinthi fuisse oportet, præter diaconos, si eâdem utrobiqve proportione presbyteros velimus definire. Ex his si v. g. decem fuerint acti à DEI spiritu prophetæ, & ex his aliqvi etiam, vel saltim reliqvi, perigrinarum lingvarum earumve interpretationis periti, vel intra presbyterorum ambitum omnis illa constiterit à Paulo data loqvendi publica licentia. Qvæ conjectura nostra vel eò usqve non improbabilis erit, donec qvis melioribus argumentis eam oppugnet.

§. 31. Opponunt qvidem Collegiati, qvòd Apostolus ad omnes loqvatur qvi fratrum nomine venire possunt *v. 20. 26.* qviqve psalmum aut doctrinam habent, ad qvæ nec immediatus afflatus reqviratur nec vocatio ecclesiæ *ibid.* Sed illa tanti non sunt, ut nos à sententiâ dimoveant. Nam qvos fratrum nomine alloqvatur Apostolus, ipse explicat *v. 37. Si qvis sibi videtur propheta esse aut πνευματικὸς dona spiritualia habens*, juxta *v. 1.* qvaliter illa cap. 12. descripserat, *agnoscat qvæ scribo.* Verba latiora secundùm substratam materiam limitanda sunt: qvia Apostolus (ut antea monuimus) non de personis, qvibus dicere liceat, circa qvas non erat peccatum, sed de modo, qvo liceat, solicitus est. Et sicut prophetia ad prophetam ita doctrina ad doctorem (peculiare officium *cap. 12. v. 28.*) limitatur. Psalmos autem propheticos fuisse, divino afflatu cantatos, qvi in ecclesiâ primitivâ inter tot illustrium charismatum doctores audiebantur, qvalia sunt Zachariæ & Simeonis, *Luc. 1. v. 68. & cap. 2. v. 92.* omnino probabile est. Aut si etiam, perinde ut seqventibus temporibus, cantorum fuit peculiare officium, ad eos hæc pars moniti Apostolici pertinet.

§. 32. Opponi etiam posset auctoritas Lutheri qvi ad totam ecclesiam & singulos Christianos hæc pertinere dicit *to. 2. jen. Lat. fol. 549. b.* etiam non vocatos *t. 2. Germ. f. 233.* Sed hujus viri qvæ fuerit sententia, vel ex libello von dem Schleichern und Winckel-Predigern *to. 5. Jen. f. 492. b.* suprà citato clarum est: St. Paulus redet an dem Ort von den Propheten/ die da lehren sollen/ und nicht vom Pöbel/ der da zuhöret. Propheten aber sind Lehrer/ die das Predigambt in der Kirchen haben. Qvòd verò in prioribus duobus locis ad omnes Christianos sermonem Pauli extendat, eò pertinet, ut in casu necessitatis etiam laicos docere posse ostendat, non & extra illam: dennoch am selben Ort

St. Paulus ein jeglichen Christen Macht gibt / zu lehren unter den Christen/ wenns Noth ist/ inqviens: & eo nomine commune Christianis omnibus ministerium verbi *rasis & unctis* apud pontificios, seu characteri sacerdotali, non vocationi legitimæ, disertè opponit. Ex his locis etiam lucem accipiunt verba, qvæ ex *postillâ Eccles. d. Steph.* adducit Tantovius, collegiatorum intentioni haud parum favere visa, & pleniùs ita sonant: Aber St. Stephanus steht hier feste/ und gibt die Macht mit seinem Exempel einem jeglichen zu predigen an welchem Orte man hören wil/ es sey im Hause oder auff dem Marckte/ und lässet GOttes Wort so nicht gebunden seyn an den Platten und langen Röcken/ damit er doch die Apostel nicht hindert an ihren Predigen/ sondern seines Ambts auch war nimbt/ NB. bereit zu schweigen/ wo die Apostel selber predigen. Denn es muß ja eine Ordnung haben / daß nicht alle zugleich predigen / sondern wie Paulus 1. Cor. 14. schreibet: Einer oder zween reden / und so einem andern etwas offenbahret wird/ der vorige schweige/ wie das Act. 15. auch beweiset ist/ da St. Petrus hatte außgeprediget/ nach der Predigt etlicher Phariseer/ predigt nach ihm Barnabas und Paulus/ zuletzt auch St. Jacobus und redet einer nach dem andern. Welches in den hohen Schulen noch ein wenig leuchtet in ihren disputationen. Aber nun schwatzet einer allein einher von Ditrich von Bern oder was ihm geträumet hat. Es solt eine rechte Predigt zugehen wie in einer collation über Tisch etwas gehandelt wird/ darumb auch Christus das Sacrament eingesetzet/ daß man darob zu Tische sitzen und sein Wort handeln solte/ aber es ist alles umbgekehret / und eitel Menschen Ordnung an stat GOttes Ordnung kommen. Propterea enim promptum in Stephano præsumit silentium, cum Apostoli prædicant qvòd semper majori velit cedere minorem, nec laico docendi facultatem asserit, nisi ubi vel presbyter non adest, domi aut in foro, vel cum in genere deliberativo versamur, ut *Act. 15.* ubi qvandoqve opus est ut laicus sententiam dicat, si aberret à scopo aut veritate presbyter, ne clavis scientiæ soli rasorum sacerdotum choro datus esse putetur, qvem omnes cœcâ credendi obedientiâ sequi oporteat. Qvod verò addit, tam familiarem esse debere docendi modum in ecclesiâ qvalis est colloqvii in mensâ, ita explicare convenit, non ut omnibus promiscuè interloqvi oporteat, sed ut ad communem usum sermo dirigatur. Certè Lutherus nusqvam legitur talem ordinem, introduxisse,

duxisse, ut optimè potuisset pro eâ, qvâ pollebat inter suos, auctoritate, qvin ipse potiùs semper sermonem publicum solus habuit: ut non potuerit hæc ejus sententia fuisse, ut pro concionibus colloqvia introducerentur; sed si qvid hîc omninò liberaliùs scripsisset, id primorum annorum fervori adscribi oporteret. Prodiit enim hæc postilla, a. 1521. qvæ verò *to. 2. Jen. Germ. fol. 233.* extant, biennio post scripta sunt.

§. 33. Jam verò postqvam de iis constat, qvibus in ecclesiâ dicere permissum est hac Apostolicâ ordinatione, paucis etiam qvalis ergo dicendi modus hîc præscribatur, considerabimus. Primùm qvidem ex verbis Pauli *v. 29. seqq.* non patet, qvòd per modum dialogi prophetas loqvi voluerit, sed credendum potiùs est, qvòd eos maluerit loqvi ad populum, qvippe ad omnium ædificationem, *v. 26.* Nam illos, qvos jubet dijudicare *v. 29.* tacitè dijudicare jubet, qvia illos à loqventibus distinguit, & surrecturo altero ad proferendum qvæ sibi revelata sunt, silere dicentem cupit, non colloqvia miscere. *v. 30.* Fuit hæc ergo oratio ad populum, qvæ à prophetâ expectabatur, ad omnium directa solatium, *v. 31.* Nihil igitur in hac ordinatione Apostolicâ à nostris moribus alienum occurrit, nisi qvòd pluribus, duobus vel tribus *v. 29.* imò etiam omnibus, *v. 31.* sibi succedentibus in eâdem synaxi dicere permittat. Hîc verò observandum est discrimen inter negativas & positivas propositiones. Paulus his verbis non tam de introducendis novis moribus, qvam obortis malis abrogandis solicitus, qvædam prohibet, qvædam permittit. Qvæ prohibet, omnino observanda erant, qvæ permittit, libertati relinqvit. Itaqve non præcisè vult ut duo vel plures loqvantur, cum & unus possit; sed ne plures dicturi mutuâ æmulatione ecclesiam obtundant. Qvod patet vel ex permissione lingvæ ignotæ *v. 27.* qvam itidem duobus vel summùm tribus permittit, etsi illam omninò cessare posse, toto capite non obscurè indicat. Sæpe qvi enormem errorem reprehendit, qvod tolerabile est, utut nec ipsum satis placeat, distinguit ab eo qvod intolerabile est. Sic *1. Cor. 6. v. 1.* litigatio ab ethnico tribunali avocatur ad arbitrium fratrum, utut nec lis coram arbitro laudabilis sit, *v. 7.* Sic *cap. 11. v. 5.* carpitur mulier vaticinans retecto capite (qvod consentientibus vulgò interpretibus etiam de eo qvod fit in in ecclesiâ dictum est) & tamen vaticinatio qvoq; omnis illius in ecclesiâ interdicitur *cap. 14. v. 34.* An pari ratione Paulus hîc permittens duos vel tres loqvi, & hoc magis adstringere voluerit, saltim in casum cessantium prophetarum, cum se reliqva coram ordinaturum esse scripsit *cap. 11. v. 34.* incertum est. Sufficit nullam hîc

ut plures loqvantur præceptum esse; sed hanc libertatem Paulum optare ad pauciſſimos reſtrictam esse, cum qvod omnes ordine poterant, *v. 31.* ordinariè tamen in minimo numero duorum vel trium cupiat ſubſiſtere.

§. 34. Obvertunt hîc denuo Collegiati, qvod (1) Apoſtolus hæc vocet præcepta Dei, *v. 37.* tanqvam neceſſariò obſervanda (2) Corinthios ad alias eccleſias remittat, ad qvarum exemplum ſe oporteat componere, *v. 33. & 36. an à vobis ſermo Dei exivit?* (ut alios veſtro exemplo novos mores doceatis) *an ad vos ſolos pervenit?* (ut ſoli præ aliis ſapere velitis). Sed hæ clauſulæ non poſſunt genus orationis Apoſtolicæ immutare, ut ea præcepta Dei esse credamus, qvæ omnino præceptivè non dicuntur. Denominatio hæc potiùs ad ea pertinet, qvæ revera erant præcepta, nempe ne alienæ lingvæ uſus ſit ſine interpretatione, nec pſalmus, doctrina aut prophetia proferatur niſi ad communem ædificationem; ne qvis de ſuâ ſcientiâ ita præſumat, qvin & alios audiat, ut omnia ordine fiant & decenter ſine diſſonâ confuſione; non verò ut præcisè plures dicant, aut cum interprete ignotâ lingvâ loqvantur. Præterea ſi noſtras hodie eccleſias ad Corinthiacam normam velimus componere, & id clarum eſt, qvòd ubi prophetæ vel omnino non ſunt, vel plures non ſunt, vel nemo adeſt lingvas extraneas callens, neqve qvæ illis propria ſunt, locum habeant.

§. 35. A Corinthiacâ eccleſiâ progredimur ad alias Apoſtolicas, ut & qvæ in his laxatæ vel adſtrictæ libertatis vel occurrant vel qværantur veſtigia, expendamus. Prima hîc occurrit Hieroſolymitana, qvæ ipſo pentecoſtes die, per ſermonem Petri ad fidem adducta eſt, de qvâ *Act. 2. v. 42.* hoc extat teſtimonium: ἦσαν δὲ προσκαρτεροῦντες τῇ διδαχῇ τῶν ἀποστόλων καὶ τῇ κοινωνίᾳ καὶ τῇ κλάσει τοῦ ἄρτου καὶ ταῖς προσευχαῖς *erant verò adhærentes doctrinæ Apoſtolorum & communioni & fractioni panis & precibus.* In his verbis ordinem primæ Chriſtianorum ſynaxeos deſcribi, qvorundam interpretum ſententia eſt. Vocem κοινωνίαν Grotius de communicatione verborum interpretatur, propterea qvòd de communione bonorũ *v. 44.* demũ mentio fiat, provocans ad *Gal. 6. v. 6.* κοινωνείτω δὲ ὁ κατηχούμενος τὸν λόγον τῷ κατηχοῦντι ἐν πᾶσιν ἀγαθοῖς. Hæc ſi ita eſſent, non læve præberent Collegiatis teſtimonium, qvòd eccleſia non ad audiendos ſermones Apoſtolorum, ſed ad mutua colloqvia convenerit. Qvia autem verbis illis Pauli ad Galatas *communicatio in omnibus bonis* id eſt, liberalitatis,

tatis, commendatur, & accusativus τὸ λόγον non à verbo κοινωνέω, sed à voce κατηχούμενον necessariò regitur, nisi absurdum sensum velimus, ut discipulus doceat doctorem; præterea κοινωνίας illa significatio, qvâ colloqvia denotet, nusqvam cognita est, sed sine Genitivo adjecto absolutè sumta semper pro largitionibus piis sumitur, *Rom. 15. v. 26. 2. Cor. 8. v. 4. cap. 9. v. 13. Hebr. 13. v. 16.* neqve est qvòd *Act. 2.* aliam ejus vim esse fingamus, nisi fortè κοινωνίαν & κλάσιν conjungere velis, ut unum regant Genitivum τοῦ ἄρτου, atqve ad S. eucharistiam pertineant. Nec obstat qvòd *v. 44.* bonorum communio recurrat, qvippe & fractio panis repetitur *v. 46.* & omnibus seqventibus versibus qvod illo uno dictum erat uberiùs exponitur.

§. 36. Hierosolymis pergimus Antiochiam ad florentissimam ecclesiam, ubi Christianorum nomen primitùs exortum est, ut inde caput orbis totius Chrysostomo appellaretur *homil. 3. ad pop. Ant.* ibi verò Paulum & Barnabam docu sse atqve evangelizasse legimus μετὰ καὶ ἑτέρων πολλῶν *& cum multis aliis* verbum Domini *Act. 15. v. 35.* Sed qvod illi alii multi certæ fuerint personæ à plebe distincti, contrà qvàm putat *Langed. p. 18.* vel ipsa verba produnt, qvia alioqvin non multos sed omnes reliqvos nominare oportuisset: qvòdqve iidem prophetæ & doctores fuerint ex *cap. 13. v. 1.* potest colligi. Sed *cap. 15. v. 1.* legimus qvòd *qvidam descendentes à judæâ docuerint fratres, nisi circumcidamini ritu Mosis, non potestis salvari:* qvæ res magnas in illâ ecclesiâ turbas dederit, & Pauli ac Barnabæ elicuerit cum novis his doctoribus disputationes, nec ipsas tamen qvid proficientes. Ubi jus laicæ libertatis se imprimis invenisse Langedultius censet *p. 16.* cum advenæ illi non potuerint constituti esse ecclesiæ istius presbyteri, qvorum tamen publica disputatio & ecclesiæ commotio ostendat, qvòd publicè docuerint. Audiremus hoc genus argumenti, si à nullo doctore, nisi qvi in publicâ ecclesiâ admittitur, turbatio accidere, si non & sparsis privatim dogmatibus ecclesiæ membra passim concitari possent, & sic qvieta synaxis in seditiosam degenerare. Disputarunt sanè cum Apostolis novelli hi doctores, & publicè disputarunt; sed licuisse illis salvo ordine & εὐχημοσύνῃ ecclesiæ ita esse procacibus, non inde seqvitur. Qvin & si non invito, etiam rogante Paulo, publicè auditi essent, non tamen licentia laica inde stabiliretur. Poterant enim qvi Antiochiæ non erant, in judæâ presbyteri constituti esse, & tanqvâ hospites invitati, sicut postea decretum

est. c. 33. Carthag. IV. Episcopi vel presbyteri, si causâ visendæ ecclesiæ alterius episcopi ad ecclesiam venerint, & in gradu suo suscipiantur, & tam ad verbum faciendum, quàm ad oblationem consecrandam invitentur. Quo tamen canone nullum jus laicis datum est.

§. 37. Hinc cum Paulo Troadem navigantes, synaxeos alicujus ecclesiasticæ offendimus descriptionem, *Act. 20. v. 7. in primâ sabbathi collectis discipulis ad frangendum panem,* ὁ παῦλος διελέγετο αὐτοῖς *differebat illis Paulus, volens abire postridie, protendebat autem sermonem ad usque mediam noctem.* Ubi verbum διελέγετο de colloqvio, qvod Græcis διάλογος est, derivans Langedultius *p. 75. seq.* nihil minùs credit qvàm paulum solum oratorem fuisse, præsertim cum seqvatur *ibid. v. 11.* ἀναβὰς οὖν καὶ κλάσας ἄρτον καὶ γευσάμενος, ἐφ' ἱκανόν τε ὁμιλήσας ἄχρις αὐγῆς οὕτως ἐξῆλθεν *cum ascendisset autem & fregisset panem, & sufficienter collocutus esset usque ad auroram, ita abivit;* ubi ὁμιλεῖν verbum est, qvod de familiari conversatione dicitur. Certè videtur hic locus pro Collegiatis aliqvid facere; nam & juxta Ammonii expositionem, διαλέγεται μὲν ὁ διδοὺς λόγον καὶ λαμβάνων *differit qvi dat verbum & accipit.* Nos ne circa illam hîc qvæstionem hæreamus, utrum per κλάσιν ἄρτου fortè agapæ non eucharistia intelligatur, & hic non fuerit ecclesiasticus propriè sic dictus conventus, dabimus jam id communi interpretum consensui, qvod fuerit. At vocis hujus διαλογεῖν qvæ vis sit, non ex eo tantùm loco Eusebii *l. 6. hist. c. 19.* qvem supra §. 9. de Origenis coram ecclesiâ concionibus habitis adduximus, sed & ex ipsis verbis Origenis addiscimus *l. 3. cont. Cels. p. 143.* de concionibus sui temporis ita locuti: καὶ τὰ ἐν ἡμῖν μάλιστα καλὰ καὶ θεῖα τότε πλημμῶμεν ἐν τοῖς πρὸς τὸ κοινὸν διαλόγοις φέρειν εἰς μέσον, ὅτ' εὐπορέμεν συνετῶν ἀκροατῶν *qvæqve nobis optima & divinissima sunt, tunc audemus publicis sermonibus in medium proferre, cum auditores intelligentes nacti sumus.* Qvæ verba de colloqviis exponi non possunt, ut censet Langedultius *p. 60.* eò qvòd officium docendi ibidem πίστις πρεσβεύσει, μυσταγωγοῖς καὶ διδάσκοις plus simplice vice speciatim asseratur, qvos cum Pythagoricis comparat philosophis, qvi, uti vulgò notum est, silentium à discipulis exigebant, imò & calumniam vocet, qvòd apud Christianos etiam *lanarii, calcearii, fullones & id genus indocti* alios docere præsumant. Imò ne qvis credat, qvod in argumentum veteris apud

pud Christianos moris vox illa per abusum de orationibus docentium retenta sit, audire libet Isocratem, orationem qvæ Nicoclis nomine scripta est, ita denominantem: ὡς προσῆκόν μοι περὶ τούτων μάλιστα διαλεχθῆναι πρὸς ὑμᾶς *ut mihi convenit de his potissimùm apud vos dicere.* Hac autem, non alterâ illâ, qvam Ammonius suppeditat, significatione Paulum hoc loco dici διαλέγεσθαι, vel inde constat, qvòd ipsi soli παράτασις seu extensio sermonis adscribatur, & juvenis ex fenestrâ prolapsus esse dicatur non διαλεγομένων αὐτῶν (sicut colloqvium plurium est) sed διαλεγομένου τοῦ παύλου *Paulo disserente.* Qvando idem dicitur ὁμιλήσας *v. 11.* eo sensu verbum explicari potest, qvo ὁμιλητὴς apud Xenophontem est discipulus. Nam & sine mutuis colloqviis cum simpliciter docemus alios, inter alîos versamur. Qvanqvam cum & presbyteri in eâ ecclesiâ fuerint, fortè & prophetæ, negare nolimus & alios symbolum sermonibus Pauli adjecisse.

§. 38. Progrediamur Romam, cujus urbis ecclesiam ita affatur Paulus. *Rom. 15. v. 16. Persvasus sum, fratres, & ego de vobis, qvod & vos pleni sitis bonitatis, impleti omni cognitione, potentes & vos invicem admonere.* Qvæ verba generaliter officium Christiani hominis indicantia, perinde ut dicta in hunc sensum alia *1. Thess. 5. v. 11. cap 4. v. 18. Hebr. 3. v. 12. Gal. 6. v. 1. Eph. 5. v. 19. Col. 3. v. 16. Jac. 5. v. 19. 1. Pet. 4. v. 10. seq.* ad nauseam à Collegiatis objiciuntur, qvasi formam publicorum sacrorum depingant, neqve mutua ædificatio fieri possit, nisi per modum publicè dicendi. Qvod qvia jam superiùs refutatum est, nunc nos non morabitur. Aliud autem peculiare pro Romanis testimonium affert Klinckhamer *p. 116.* ex *Phil. 1. v. 14.* ubi Paulus fata sua ad Evangelii promotionem cessisse narrat, ut *plures fratrum in Domino confidentiores redditi vinculis meis abundantiùs audeant verbum proloqvi*, & alii qvidem δι' εὐδοκίαν *suo arbitratu.* Sed & hoc testimonium à causâ nostrâ alienum est, qvi jam superiùs §. 2. docuimus, qvantum intersit inter prædicationem Christi apud infideles & apud fidei socios.

§. 39. Deniqve & ad Hebræos nos recipiamus, & qvis illis mos fuerit indagemus. Primùm qvidem de iis, qvi in Christum fidem amplexi sunt, objiciunt nobis Collegiati admonitionem Apostolicam, *Heb. 10. v. 24. seq. incitemus nos mutuò ad acriorem gradum charitatis & bonorum operum, non deserentes congregationem nostram, sicut mos qvibusdam, sed adhor-*

adhortantes. His verbis ecclesiæ synaxin publicam indigitari, non sinit nos dubitare vel vox ipsa ἐπισυναγωγὴ, qvæ multitudinis copiosæ est, cum qvâ dum conjungitur commune mutuæ exhortationis præceptum, in ipsâ illâ synaxi ut id promiscuè ab omnibus fiat, præcipi videtur. Verùm enim verò, si accuratiùs ad constructionem verborum attendimus, facilè videmus, elenchum conjunctionis admitti, & qvæ diviso sensu dicta erant, composito accipi. Propterea enim cavet Apostolus in hac mutui incitamenti commendatione, ne derelinqvantur congregationes, qvòd illi & sine his satisfieri possit, & periculum sit, ne privata hominum studia publici cultûs divini necessitatem facilè videantur excludere. Adhortatio etiam illa, qvam desertioni synaxeos opponit *v. 25.* qvia sine addito accusativo proponitur, vi oppositionis ad commune objectum ἐπισυναγωγὴν referenda est, ut adhortentur se fideles non in congregatione, sed ad congregationem freqventandam.

§. 40. De iis, qvi fidem Christi nondum receperunt, objiciunt libertatem docendi Christo & apostolis passim in synagogis concessam, in qvibus cum illi doctores constituti non fuerint, necessariò jure tantùm fratrum communi dixerint, eò omnibus certiore & irrefragabiliore, qvò magis invisi archisynagogis & presbyteris ad silentium facilè adacti essent, si per leges publicas vocem docentis cohibere licuisset. *Matth. 4. v. 23. Transivit totam Galilæam Jesus, docens in synagogis illorum & prædicans Evangelium regni* cap. 13. v. 54. *& venit in patriam suam, & docuit eos in synagogâ ipsorum, ut obstupescerent & dicerent, unde huic sapientia hæc?* conf. *Luc. 4. v. 15. seqq. & ult. cap. 6. v. 6. Joh. 18. v. 20. &c.* ita ut etiam cum archisynagogis disputaret, *Matth. 12. v. 9. seqq. Luc. 13. v. 14. seq.* Sic & Paulus *Act. 9. v. 20. & statim in synagogis prædicavit Christum, qvod hic esset filius Dei,* sic & apud helleniſtas *cap. 13. v. 5. cap. 14. v. 1. c. 17. v. 17. cap. 18. v. 4. cap. 19. v. 8.* & Apollos *cap. 18. v. 26.* qvod adeò non est novum visum Judæis, ut ipsi illos invitarint *Luc. 4. v. 17. 20. Act. 13. v. 15. post lectionem legis & prophetarum miserunt archisynagogi ad ipsum dicentes: Viri fratres, si qvis est sermo in vobis adhortationis ad populum, dicite.* Neqve causari licet, qvòd extra horas stati conventûs ad fortuitum tantum populi concursum dixerit vel ipse vel Apostoli, sicut tales conciones in porticu Salomonis *Joh. 10. v. 23.* & ad ærarium *cap. 8. v. 20.* & alibi factæ sunt, qvoniam præsente ministro, præsentibus archisynagogis, consedente populo illos dixisse ex locis adductis constat. Hinc cum in palatio Pontificis causa contra Christum qværeretur,

retur, de doctrinâ, ejus interrogabant, qvam inqvisitionem ipse retundebat, qvòd publicè docuisset in synagogâ *Joh. 18. v. 20.* Qvæ ipsa res jam satis crimini dari poterat, si eâ lege, qvâ hodiè vivimus, publica vox in synagogis omni non vocato fuisset interdicta. Si verò judæis communis alia libertas fuit, nec eandem in Christianorum ecclesiis interdictam esse, probabile videtur, cum ad formam synagogæ ecclesia composita sit, nec prohibitio hujus rei ullibi legatur facta esse.

§. 41. Optimè autem hujus argumenti vim infregit Antonius Dalius, qvando ad auctoritatem Christi & Apostolorum Propheticam jussit attendere. Illa enim erat prophetarum auctoritas, ut ubiq; & omni tempore audiendi essent, qvi se nomine Dei aliqvid afferre profiterentur. Et qvanqvam ab aliqvot seculis jam ferè desierat prophetia inter judæos, ut aut nulli aut rarissimi apparerent, expectabant tamen semper reducem hanc DEI gratiam, & imprimis Messiam, magnum illum à Mose prædictum prophetam, *Deut. 18. v. 15.* ejusqve prodromum ex *Mal. 4. v. 5.* sic satis etiam Scripturarum gnari, ut adesse tempus Messiæ divinarent, ad qvemvis etiam rumorem de illo animis attenti. Unde non populus tantum faciliùs & Johanni & Christo accurrebat, sed & ipsi Pharisæi & Rabbini causam ab initio ut probabilem reverebantur, vid. *Matth. 3. v. 7.* nec audebant locuturum in synagogâ repellere. Hæc causa erat legationis ad Johannem, *Joh 1. v. 20. 21.* qvâ qværebant, essetne ipse Christus vel Elias, vel qvivis alius propheta, qvòd nempe sine charismate prophetico extraordinarium jus docendi baptizandive nemo sibi sumere debuerit. Sub initium igitur prædicationis Christi anteqvam hypocrisin ac errores magistrorum à Christo publicè reprehendi advertissent, religioni ipsis fuisset non audire, qvi se prophetam profitebatur: postqvam autem ipse populi applausum accepisset, jam non audebant ipsum ampliùs repellere. vid. *Joh. 7. v. 13. cap. 12. v. 19. Luc. 19. v. 48. Matth. 26. v. 5.* conf. & *Matth. 14. v. 5. & cap. 21. v. 26.* Sic pariter Apostoli post ascensionem Christi per miracula & sermonis efficaciam illâ cœperunt pollere auctoritate, ut vi resistere illis non auderent pharisæi, vid. *Act. 5. v. 26.* cumqve alibi extra Hierosolymas prophetico nomine se locuturos esse profiterentur, ubi nondum exosi erant, pari facilitate, qvâ ab initio Christus in Judæâ, admittebantur. Conf. exemplum *Act. 28. v. 21.* Et hæc causa est, qvare tam benevolè invitati sunt ab archisynagogo Paulus & Barnabas *Act. 13. v. 15.* qvòd ipsorum fama jam tum celebris, nondum tamen atro carbone notata

tata fuerit. εἰ ἔστι λόγος ἐν ὑμῖν παρακλήσεως πρὸς τὸν λαόν, inqvit ille, qvod juxta Grotium ita vertere licet: *si est in vobis sermo prophetiæ ad populum, dicite.* Nam παράκλησις voci Hebrææ נבואה respondet *Act. 4. v. 36.* Non negamus tamen sub hac admissione eorum qvi se prophetas esse profitebantur, qvandoqve & irrepsisse illos, qvi non erant, uti suo exemplo probat Apollos *Act. 18. v. 24.* Qvod si in synagogis fieret Judæorum, Apostolis non potuit esse ingratum, qvi gaudebant, si qvomodocunqve Christus prædicaretur, *Phil. 1. v. 18.* sed ad certum synagogarum morem inveniendum nihil facit.

§. 42. Citra casum prophetiæ autem qvæ sit laico dicendi libertas in synagogâ, exponit Buxtorff. *cap. 14. Syn. Jud. p. m. 288. seqq.* nempe qvòd nemo suâ sponte ad legendum prorumpere debeat, qvi non sit nomine suo vocatus, qvòdqve vocetur primò aliqvis ex sacerdotali familiâ, deinde duo alii, qvorum alter sit levita, alter simpliciter Israëlita, & stylo argenteo locus monstretur qvi legendus est. Qvâ in re magnam sibi סגן illum, qvi evocat, conflare invidiam notat, si aliqvem, qvi lubens inter lectores esset, præterierit. Addit *cap. 16.* qvò solennius festum est, eò plures evocari lectores, ita ut sabbathis ordinarie septem sint qvi legant. Adstitisse etiam interpretem qvendam qvi singulos versûs, ut prælegebantur, populo interpretaretur, cum purè Hebræa dialectus, qvæ in S. bibliis est, non ampliùs vulgò nota esset, patet ex *Massech. megilla cap. 4. §. 4.* הקורא בתורה לא יפחות משלשה פסוקים לא יקרא למתורגמן יותר מפסוק אחד ובנביא שלשה היו שלשתן שלש פרשיות קורין אחד אחד מדליג בנביא ואין מדלגין בתורה ועד כמה מדלג עד כדי שלא יפסוק המתרגמן: *qvi legit in lege, non legit minus tribus versibus, non prælegit interpreti plus qvàm versum unum, & in prophetâ tres, suntq; illæ tres sectiones, qvas legunt sigillatim, transilire aliqvid in prophetâ licet, non in lege; qvantum verò qvis potest transilire? qvantum potest percurrere antequam desinat loqvi interpres.* Qvòd interpres aliqvando commentatus sit vel concionatus de eo qvod lectum, probat *Lightfoot ad Luc. 4. v. 16.* An & lector idem potuerit, suiqve ipsius esse interpres non constat nobis, nisi qvòd verba Philonis, qvæ ex libro de *exitu Israëlit.* adducit Eusebius *lib. 8. præpar. Evang. sect. 7.* id de sacerdotibus vel presbyteris testentur, καὶ δῆτα συνέρχονται μὲν ἀεὶ καὶ συνεδρεύουσι μετ' ἄλλων, οἱ μὲν πολλοὶ σιωπῇ, πλὴν εἴ τι προσεπιφημίσαι

μίσαι τοῖς ἀναγινωσκομένοις νομίζεται, τῶν ἱερῶν δὲ τις ὁ παρὼν ἢ τῶν γερόντων εἷς ἀναγινώσκει τοὺς ἱεροὺς νόμους αὐτοῖς, καὶ καθ' ἕκαστον ἐξηγεῖται μέχρι σχεδὸν δείλης ὀψίας, & *sanè conveniunt semper & consident unà, multitudo silentio, nisi cum acclamare* (Amen) *legentibus solet, sacerdotum autem qvis qvi adest aut seniorum legit sacras leges ipsis, & singulas exponit usq; ad seram ferè vesperam*, qvibus cum conferri potest, qvod idem Philo *lib. de vita Mosis p. 530. edit. Genev.* dicit, Judæos in sabbato philosophasse seu legem didicisse, τοῦ μὲν ἡγεμόνος ὑφηγουμένου καὶ διδάσκοντος ἅτε χρὴ πράττειν καὶ λέγειν, *duce præeunte & docente qvæ oporteat agere & loqvi.* Attamen *lib. qvod omnis prob. lib. p. 679.* apud Essæos inter lectorem & docentem distinguit, εἶθ' ὁ μὲν τὰς βίβλους ἀναγινώσκει λαβὼν, ἕτερος δὲ τῶν ἐμπειροτάτων ὅσα μὴ γνώριμα παρελθὼν ἀναδιδάσκει (ut Grotius legendum monet pro ἀναγινώσκει, qvod vitiosè in textu est) *tunc alter libros accipit & legit, alter verò expertissimorum progressus, qvæ nota non sunt, docet.* Sed qvod expertissimo id officium assignat, alibi ita explicat, ut inter seniores expertissimum designet, *lib. de vita contempl. p. 671.* παρελθὼν δὲ ὁ πρεσβύτατος καὶ τῶν δογμάτων ἐμπειρότατος διαλέγεται *accedens qvi presbyterorum senior & dogmatum expertissimus est, disserit.* Unde patet qvàm verè scripserit Tertullianus *l. 4. adv. Marcion. Etsi passim synagoga adiretur, non tamen ad docendum, nisi ab optimè cognito & explorato & probato jam pridem in hoc ipsum, vel aliunde commendato cum hoc munere:* qvàmqve promiscua colloqviorum licentia in synagogis suffragium non inveniat, sed solum legendi officium cnm laicis ibi ad nutum ministri publici sit communicatum, qvaliter hodieqve in ecclesiis nostris etiam pueris lectionem evangelii dare solemus.

§. 43. Baronius *ad a. 57. n. 101.* structuram veterem sacrarum ædium apud Christianos indagaturus, in dialogum Luciani incidit, cui titulus *Philopatris*, per qvem qvasi per rimulam qvandam cultum rerum Christianarum sub finem seculi primi se aliqvâ ex parte cognoscere autumat. Placuit ea res Collegiatis & in his præcipuè Langedultio, qvi tũ ex hoc profani irrisoris dialogo, tum ex altero, qvi *Peregrinus* inscribitur, etiam se haurire posse putat, qvæ communem libertatem dicendi apud primos Apostolorum discipulos statuminent. In priore dialogo duo loca adinvenit, priorem hunc, ubi Critias narrat Triephonti, se in publicũ exeuntem, emtum

 qvæ-

"qvædam necessaria, magnam turbam vidisse sibi in aures susurrantem,
"per qvam ipse perrumpens offenderit qvendam Cratonem sibi notum,
"qvem salutaverit, sed homuncionem qvendam alium fuisse, nomine Cha-
"ricenus, qvi mira multa narrarit, qvibus adstantes admodum delectati
"sint, qvem alius Cleuocharmus exceperit dentibus qvædam adstridens,
"ut se alius qvis doceuerit, qvemadmodum auro hîc vias publicas sit stra-
"turus. Qvæ ipse qvidem riserit tanqvam vanissima somnia, sed ab
"altero reprehensus, testato qvòd hæc vera, & mense Mesori eventura sint.
Qvem locũ de conventu non in plateis sed ædibus intelligendum esse, Lan-
gedultius contendit; qvòd eo tempore Christianis tutum non fuerit, in pla-
teis de religione disserere. Alterum adducit illum, qvo idem Critias narrat,
"qvòd se persvaderi passus sit, ut ad conventum horum hominum iret per
"ferreas portas & ænea limina, multasq; scalas, ubi ad aurati fastigii domũ
"pervenerit, qvalis Menelai qvondam fuisse dicatur, sed ubi non Helenam
"invenerit, sed viros pronos & pallidos, qvi ipsius aspectu gavisi occurre-
"rint, sciscitantes an & triste qvoddam nuncium afferret, qvasi qvi tri-
"stia qvæqve exoptent, cumqve de statu urbis qværentes responsum
"tulerint omnia læta esse, exceperint, alia omnia esse futura, magnos es-
"se motûs extituros in urbe, & castra ab hostibus superatum iri. Deniqve
"qvòd narrarint se decem dies sine cibis permanere & hymnis vigiles no-
ctes ducere &c. Tertium ex dialogo posteriore adducit, ubi Peregrinus
ad Christianos se recipiens dicitur cito illorum sapientiam addidicisse,
"propheta ipsorum θιασάρχης καὶ ξυναγωγεὺς *collegij princeps & convo-*
"*cator* & omnia solus factus. In prioribus duobus locis hoc ipsi placet,
qvòd plures locutos esse asserat Lucianus, in ultimo verò, qvòd Peregrinus,
qvi tanqvam recens fidei proselytus, per leges Christianorum non tam ci-
tò potuerit presbyter creari, tamen propheta id est orator factus sit, non a-
lio nomine qvàm Συναγωγέως id est, socii congregationis.

§. 44. Nolumus hîc prolixè qværere, qvam fidem mereatur ho-
mo, qvi non historias sed scommata profert: subsit sanè sub his fabellis ali-
qvid sani. Primam tamen, qvam narrat, hominum turbam in plateâ
fuisse, ipse contextus docet, si enim alibi se illam offendisse voluisset indi-
care, qvid opus erat exitum ἐπὶ τὴν λεωφόρον *in publicam viam* narras-
se? qvæ determinatio non faceret ad scopum. Neqve ea fuit Christiano-
rum primorum timiditas, ut occidi pro gloriâ Christi nollent, aut publi-
cè de eo disserere, nec semper & ubiq; illa persecutio, ne unqvàm liceret in

publi-

publicum comparere. Secundum, qvem invenit Critias, conventum in ipso exercitio cultûs divini publici ut invenerit, necesse non est; nec qvid illi inter se, sed qvid secũ locuti sint, enarrat. Si qvam ibi concionem ad Christianos habitam audivit, uti se ἠπορημένον λόγον καὶ θαυμάσιον ἀκουσμάτιον audivisse sub initium narrationis dicit, illum fortè in verbis: καὶ τὰ γεπροστεθῶσι ἅ, τινάμε καὶ ὡς στήλην ἄναυδον ἔθηκαν, suppressit. In tertio loco malum agit interpretem Langedultius, cum vocem ξυναγωγεὺς pervertit, & alteram, qvæ hanc explicat θιασάρχην, dissimulat, vanè timens Apostolico canoni de neophyto non promovendo, qvasi non ob rariores animi dotes id sœpe factum sit, & propterea etiam hîc narretur.

§. 45 Sed (qvod ad priora duo loca attinet) omnino non fuisse conventum illum Christianorum, qvem in Critiæ narratione & Baronius & Langedultius qværit, conceditqve Dalius, penitus persvasi sumus. Primùm enim non conveniunt in Christianos, qvæ de vaticinio magnarum qvæ imminerent turbarum & secuturorum postea aureorum seculorum hîc proferuntur, nisi fortè Cerinthi hæresin huc advocare velis. Nam si *pro morâ finis* orabant Christiani, juxta *Tertull apolog. c. 32. & 39.* non utiq; anxiè illum expectabant. Neq; longa illa & pertinacia plurium dierũ jejunia, qvæ hîc commemorantur, cum ejus temporis moribus inter Christianos congruunt. Nã qvadragesimæ recentioris ævi, nec talis disciplinæ sunt. Deinde & πρέπον personæ non patitur, ut Triephon, qvi introducitur paulò antè Critiam, & si ridendo, in mysteriis Christianismi erudiens, mox qvæ narrat Critias de eorundem Christianorum à se auditis dogmatibus, tanqvam nova & inaudita miretur, cum voto ipsorum obliviscendorum, uti in hoc dialogo factum legimus. Itaqve malumus de Judæis therapeutis fabulam explicare, qvos Philo *lib. de vit. contempl.* depingit, & Eusebius *l. 2. hist. c. 17.* falsò Christianos fuisse reputat, sive qvod vult Scaliger, Essæorum specie, sive qvod Valesio placet, distinctâ ab iis sectâ. Nam & locus convenit, cum Philo illos in Ægypto collocet, & in hac narratione etiam Ægyptiacus mensis nominetur *Mesori*, & Lucianus in Ægypti provinciâ procurator fuerit, ut constat ex ejus *apolog. pro iis qvi mercede conducti serviunt.* Conveniunt & æneæ portæ & sermones de rebus urbis cum claustris illis & domibus, qvos hos homines rure habuisse Philo narrat. Conveniunt pertinacia jejunia tridui vel sextidui (facilè a Luciano appendice qvodam adaucti) qvæ idem Philo de iis refert. Pariter & considendi

 modus

modus & hymni & somniorum revelationes, qvæ omnia ab eodem auctore describuntur. Nec minùs vestitûs tenuitas, qvam Critias ridet, ex bonorum omnium abdicatione de Therapeutis præsumi potest. Qvamvis autem domos tenuissimas habuerint, teste Philone, credibile tamen est, κοινὸν illud σεμνεῖον, qvo ad orandum convenerint, fuisse pretiosissimum, perinde ut apud Pontificos, cœnobiis sordidissimis sæpe pretiosissima templa apposita sunt. Non enim per ironiam laudasse potest auratum illud fastigium Lucianus, qvia luridæ hominum faciei hanc pulchritudinem opponit: ὁρῶ γὰ μὴ ἑλένην μὰ δί' *at, per jovem, non video Helenam &c.* Deniqve & cum judæorum religione magis convenit vaticinium futuri temporis, qvi ignotum Messiam qvotidie expectabant, ejusqve cum Gogo & Magogo bella ac totius mundi eversionem. Qvæ omnia satis clarè evincunt errorem eorum, qvi per has rimas ethnicas oculos trajiciunt, qvodqve ad Judaicas non Christianas synaxes pertineant, qvæcunqve in his dialogistæ verbis observantur

§. 46. Qvemadmodum igitur nec Judæi nec Apostoli promiscuè omnibus dicendi licentiã concesserunt in conventibus sacris, ita nec seqventibus seculis apud Christianos tale qvid unqvam est auditum. Seculo II. Justinus *apol. 2.* synaxin Christianorum ita describit, qvòd post lectionem sacrarum literarum ὁ προεστὼς διὰ λόγου τὴν νουθεσίαν καὶ πρόκλησιν τῆς τῶν καλῶν τούτων μιμήσεως ποιεῖται *præses* (vel episcopus) *sermone adhortatur atq; incitat ad horum egregiorum imitationem.* Qvis Scripturas prælegerit, non addit qvidem, nec multùm interest, statine jam fuerint lectores an ad episcopi nutũ evocati, ut in synagogâ fiebat, cum de eo genere laicæ vocis non disqviramus. Eodem vel III. ineunte Seculo Tertullianus *de præscript. cap. 41.* ut mulieribus ita *etiam laicis sacerdotalia munia injungi* apud hæreticos qveritur, inter qvæ procul dubio & id comprehendit, qvod paulò ante enumeraverat, *qvòd audeant docere.* Ex seculo IV. sibi opponit Gregorium Nazianzenũ ipse Langedultius *p. 69.* qvi *orat. 26.* laicam docendi libertatem ita prohibeat, ut nolit eum, qvẽ ovem esse oportet, pastoris munia occupare, aut qvi pes sit se pro capite gerere, aut qvi gregarius miles castra ducere, qvòd non qvemlibet nec ubiq;, sed illum cui id concreditũ est, & commodo qvidem tempore sapientiam DEI loqvi oporteat, plebs verò ab hac dicendi libidine, & morbo qvo corripiantur, abducenda sit. Sed ut solet testimoniorum ecclesiasticorum apud qvosdam versatilis esse applicatio, hac Gregorianâ prohibitione ita abutitur, ut contendat huc usqve fuisse, qvi liber-

libertatem laicis communem tuerentur, qvæ sic tandem per episcoporum ambitionem suppressa sit. Rectè respondet Dalius *hist. p. 76.* Gregorium hæc omninò non de duplicis ecclesiæ synaxibus, sed privatis hominum disputationibus intelligere, cum qvæstionem Arianam omnium tunc vocibus celebratam qvisqve examinare, & in omnibus triviis vel oppugnare vel tueri τὸ ὁμοούσιον promiscua plebs laboraret. Provocat ad hunc Nazianzeni locum c. 64. Trull. qvando laicam docendi potestatem ita compescit: ὅτι οὐ χρὴ δημοσίᾳ λαϊκὸν λόγον κινεῖν ἢ διδάσκειν, ἀξίωμα ἑαυτῷ διδασκαλικὸν ἐντεῦθεν περιποιούμενον, ἀλλ' εἴκειν τῇ παραδοθείσῃ παρὰ τοῦ κυρίου τάξει, καὶ τὸ οὖς τοῖς τὴν χάριν τοῦ διδασκαλικοῦ λαβοῦσι λόγου διανοίγειν, καὶ τὰ θεῖα παρ' αὐτῶν ἐκδιδάσκεσθαι. Καὶ γὰρ τῇ μιᾷ ἐκκλησίᾳ διάφορα μέλη πεποίηκον ὁ θεὸς κατὰ τὴν τοῦ ἀποστόλου φωνὴν, ἣν ὁ θεολόγος ἑρμηνεύων Γρηγόριος σαφῶς τὴν ἐν τούτοις τάξιν παρίστησι, λέγων. Ταύτην αἰδώμεθα τὴν τάξιν ἀδελφοὶ, ταύτην φυλάττωμεν. ὁ μὲν ἔστω τις ἀκοὴ ὁ δὲ γλῶττα, κτλ. *qvòd non oporteat laicum publicè sermonem movere (disputare,* vertit interpres) *vel docere, docendi auctoritatem ex eo sibi vindicantem, sed ordini à Domino tradito cedere, & aurem iis, qvi docendi gratiam acceperunt, aperire, & divina ab eis doceri. In unâ enim ecclesiâ diversa membra fecit Deus, ut est vox Apostoli, qvam interpretans Gregorius Theologus, eum qvi in iis est ordinem apertè commendat, dicens; hunc ordinem revereamur fratres, hunc servemus. Hic qvidem sit auris, ille verò lingva &c.* ubi satis disertus de publicâ non privatâ laicorũ lingvâ sermo est, & Balsamon hunc canonem exponens, eum ampliandum esse censet ad monachos & minoris ordinis clericos, eò qvòd solorum Pontificum & eorum, qvi ad hoc ordinati sunt, officium sit docere; sed optimè adjectum esse canoni dicit τὸ δημοσίᾳ *publicè*, qvia si qvis intelligens privatim interrogetur de dogmatico aliqvo argumento aut aliâ ad animæ utilitatem pertinente causâ, non prohibetur qvod sibi visum est respondere. Itaqve si & hîc de occasione canonis qværere velimus, majorem qvàm in ipso Nazianzeno suspicandi causam habet Langedultius, qvòd illa publicè docendi in synaxi Christiana libertas apud qvosdam etiam tunc sit vel retenta vel resumta. Veruntamen si illorum temporum ritûs & mores rectè consideramus, ubi etiam presbyteris potestas verbum faciendi vel in suis parochiis peculiari canone erat sancienda, & diaconis non nisi homilias Patrum legere licuit, *vid. c. 6. Vasens.* haud possumus

sumus credere eò licentiæ progredi potuisse laicos, ut inter publica sacra dicere auderent: sed ad alias populi convocationes præter sueta ecclesiæ tempora illum canonem, & speciatim qvidem ad monachos pertinere arbitramur, ne illi suis in claustris aut privatis ecclesiis conciones haberent. Illis enim diversis Leonis epistolis, ut 62. 63. & 82. prædicationem omnem interdici notat Franciscus Bernardinus Ferrarius *de ritu sacr. conc. lib. 2. cap. 5.* Qvippe olim omnes monachi fuerunt laici, saltim extra clerum constituti; nam ab utrisqve distinguntur *c. 2. & 8. Chalced.* ita tamen ut qvantum ad rationum juris cum laicis æstimarentur. Unde ad Sacramentum Domini sibi conficiendum aliunde ipsos presbyterum accersere debuisse, constat ex *epist. Epiph. qvæ est 60. inter Hieronymianas.* Sed qvia genere vitæ ad singularem sanctitatis gradum aspirarunt, paulatim etiam munia docentium occupare voluerunt, donec tandem mos introductus est, ut omnes rasuram clericalem acciperent.

§. 47. De aliis, qvæ pro se ex antiqvitate adducit Langedultius, non est qvòd multum simus soliciti, cum ferè non nisi generalia verba sint, ad commune Christianorum studium pertinentia, qvalia vel hodie sive nostratium aliqvis sive cujuscunqve sectæ scriptor protulerit, v. g. qvæ ex Barnabæ epistolâ profert, ut congregati scrutentur qvæ communiter omnibus prosunt, ex Ignatio ad Trallianor, ut in concordiâ & communibus precibus perseverent, ad Smyrnenses, ut abstineant à malis, nec publicè nec privatim cum illis collocati, &c. Ista enim monita in qvâvis disciplinâ ecclesiæ locum habent, cum etiam adhærens presbyteri vel episcopi ori ecclesia, & ad ejus verba tantùm attendens, optima qvæq; scrutetur, communes preces jungat, & sermones alienorum caveat. Laicum docentem admittit qvidem pseudo-clemens *l. 8. constit. Apost. cap. 38.* sed non qvi ecclesiam, verùm ut ex præcedentibus & seqventibus patet, qvi catechumenos privatâ operâ doceat. Qvæ planè alia dicendi ratio est.

Unde concludimus, ejus licentiæ, qvam Collegiati laicis promiscuè omnibus vindicare cupiunt, exemplum nec in S. literis nec in ecclesiæ historiâ inveniri.

(O)

Q. B. V.

DISPUTATIO THEOLOGICA

De

SYNCRETISMO COLLEGIALI,

Qvam

Annuente DEO opt. max.

In inclytâ ad Varnum ACADEMIA

PRÆSIDE

JUSTO CHRISTOPHORO SCHOMERO,

SS. Theol. D. & Professore Publico, Consistorii Ducalis Assessore, ac Diœceseos Mecklenburgensis Superintendente

SOLEMNI DISQVISITIONI

sistit

JOHANNES von BERGEN/

Libavia Curlandus.

A. C. M. DC. LXXXVI. d. April.

ROSTOCHII,
Imprimebat JACOBUS RICHELIUS, Ampliss. Senat. Typographus.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn788077619/phys_0097
DFG

Universitäts-
Bibliothek
Rostock

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn788077619/phys_0098
DFG

Q. B. V.

DISPUTATIO TERTIA

DE

SYNCRETISMO COLLEGIALI

Respondente

JOHANNE von BERGEN/ Libaviâ-Curlando.

§. 1.

EXosum est jam à pluribus annis inter nos *Syncretismi* nomen, qvod à Cretensium qvondam moribus, qvi factionibus licet inter se divisi communem tamen hostem communi consilio oppugnabant, auctore Plutarcho deductum, Paulo Windeckio primùm & aliis fortè Pontificiis placuit, ad colligandos contraProtestantes dissentientium Principum animos, & inde contrariâ æmulatione stimulatis Pareo Massonioqve Calvinianis, illi præcipuè ad simile fœdus inter nostrates ac Calvinianos sanciendum, qvo Pontificiis occurreretur; consiliis utrinqve iis, qvorum funesta in bello civili vestigia hodieq; Germania deplorat. Producta deinde vox est ad omnem tepidiorem dogmatum Theologicorum professionem, qvâ pondus controversiarum levius æstimatur, & contradictio dissentientium benignè fertur, adeo ut Danhauero syncretismus distingvatur in *absorptivum*, qvo in alienam sententiam conceditur, *temperativum*, qvo tertium novum dogma ex oppositis cuditur, & *conservativum*, qvo dissensio integra retinetur; qvæ ultima species nostræ nunc considerationis erit. Qvamvis autem ista appellatio, minùs placeat lenitatis hujus patronis, qvi sub molliore nomine *pacis ecclesiasticæ mutuæq; tolerantiæ* studia sua malunt commendare, nolumus tamen ad vocabulariam illam crisin cum qvoqvam descendere, qvibus receptus jam usus, ceu communis loqvendi magister, sufficit.

§. 2. Inveniuntur autem inter omnium partium doctores, qvotqvot Christianum nomen profitentur, qvi cum dissentientibus fraternam ejusmodi pacem colere exoptant, ne opinionum varietas communi salutis spei fideiqve fundamento credatur obstare. Pontificii illam Græcis commendant, subdolam licet & ad extendendum Romanæ sedis impe-

rium præcipuè compārātām, & inveneruntin iis, qvi temporum conditioni servientes pari studio responderent, ut ex *Pachymere & Sguropuli historiâ Concilii Florentini* patet. Iidem & Protestantes qvandoqve inescatum magni hiatûs promissores subornant, nec desunt qvi ad suavem aucupum fistulam attendunt, qvin ultrò etiam illi occurrunt, cum exemplis Erasmi, Wicelii, Cassandri, ἐπαμφοτέρων, illecti præiens *Grotii votum* incautiùs seqvuntur. Calviniani nostratibus talem fraternitatem offerunt passim, & vicissim accipiunt à qvibusdam: Puritani ipsi, qvos rigoris zelus denominavit, experiuntur remissiores apud se Baxteros atq; Molinæos, qvi Latitudinarias sententias, imo & Lutheranorum & Arminianorum communionem haud illubentes admittunt. *vid. illius præfat. ad casûs ecclesiast. in 3. part. Theol. Pract. hujus verò Corollar. ad paræn. p. 93.* Sociniani & Remonstrantes eò impensiùs communem inter protestantes tolerantiam svadent, qvò magis ip sorum interest invidiâ publicâ non conflagrare. Deniqve Anabaptistæ mirâ excommunicationis facilitate & schismatum freqventiâ ante omnes alios nobilitati, jam olim etiam hac de re in partes discesserunt, qvarum alia lenior indulgentiorqve, alia durior & asperior fuit, ut referunt *Waterlandi Roterdamenses epist. 2. henot. de a. 76. pag. 18.* qvemadmodum & societas eorum, qvæ omnem sectarum colluviem recipit, diu jam in Belgio nota est sordido nomine currûs stercorarii, *den Dreckwagen*, qvo à purgatioribus, *de fynen & superfynen*, distinguitur.

§. 3. Imprimis verò Arminiani hanc sibi tanqvam propriam gloriam vindicant, qvòd primi inter omnes sectas coram orbe Christiano publicum mutuæ tolerantiæ signum erexerint, qvo ipso supra omnes alias ecclesias cupiunt eminere, ceu ex actis 26. Maji, 1624. profitetur Is. Pontanus *de lib. dic. cont. Klinkh. p. 19.* nec aliam agnoscunt præter se ecclesiam, qvæ hanc tolerantiam publicè profiteatur, *id cont. Gal. de vis. eccl. p. 152. seq.* Hac tesserâ discriminari gaudent à cæteris omnibus sectis. Hic limes, hic terminus illorum est, dissentientes omnes ferre atqve amplecti, ut loqvuntur *præfat. Apolog. fol. 19.* eò progressi, ut num etiam præter ea, qvæ naturali rationis lumine constant, & generalem fortè Christi agnitionem, aliqvis ipsis articulus fidei supersit, qvem necessariò credendum esse existiment, meritò dubites. Etsi enim illâ accusatione sibi injuriam fieri vulgò qveruntur, & ea saltem, qvæ symbolo Apostolico continentur, se pro regulâ Christianæ fidei habere qvandoqve præ se ferunt,

qvo

qvo tamen illud loco habeant, patet ex *apol. f. 37. seq.* Nempe paucis summam sententiæ exponunt in *Vedel Rhapſ. cap. 5. p. 121. th. 5.* Necessarium nihil esse, qvod in controversiam vocari potest ab iis, *qvos manifestum non est aut ingenti præjudicio laborare aut acribus affectibus abripi.* Sed qvomodo id debet esse evidens & cui? *utrig; parti*, secundùm *th. 3.* nam sine adversæ partis consensu nos qvidem id credere possumus ex manifestâ nobis scripturæ definitione, juxta *th. 2. & 3.* sed non tutò tamen de malitiâ alterius judicare, juxta *th. 6.* Ita ergo unicuiq; permittunt, ut solis inhæreat Scripturis, & in iis hoc credat esse evidens, qvod suo conceptui congruit; neqve adeo qvicqvam necessarium esse agnoscunt, nisi qvod qvisqve sibi evidens esse profitetur. Qvod satis etiam confirmat citatus jam ante Pontanus *de eccl. visib. p. 171.* cum sine reqvisitâ vel unius articuli necessariâ fide, disertè profitetur, se nullam fidei regulam nec dare nec accipere præter ipsum scriptum DEI verbum *prout jacet*, paratos pro fratribus agnoscere ac in societatem suam accipere omnes, qvi verbum illud fide non fictâ pro vero & unicè divino agnoscunt, fidemqve illam bonâ conscientiâ servare student, & alios à se dissentientes pariter ferunt. Qvin tandem & gentiles, qvi de Christo non audiverunt, damnare reformidant, *vid. Ved. Rhapſ. p. 54. th. 5. & 7.* vel in extraordinariâ revelatione ipsis spem salutis reponunt, ut ex *resp. ad Walach. p. 61.* observat Calovius *t. 1. Syst. p. 186.*

§. 4. Qvantumvis autem, Remonstrantes hisce omnibus apicem ipsum omnis syncretismi attigisse, credere liceat, nemoqve videatur hanc viris palmam dubiam facere posse, tanto cum epinicio undiqve circumlatam, en tamen! adiunt Collegiati, qvi de prærogativâ cum illis ita contendunt, ut etiam, qvam in eâ affectant, charitatis æqvitatisq; gloriam ipsis tantùm non omnem penitus evertant. Aegrè fert Pontanus *cont. Galenum p. 152. seq.* qvòd is cum socio *Davide Spruyt in Declarat. XIX. art.* Remonstrantes non exceperit à generali omnium ecclesiarum accusatione, qvòd divinam sibi auctoritatem in animos hominum arrogarent, nec pro fratre acciperent, nisi qvi regulis à se positis subjiciatur: & eandem qverelam repetit *cont. Klinkhamerum p. 17.* Ibi verò hic *p. 13. def. lib. dic. & seq.* ut excipiendos omnino ab hâc accusatione Remonstrantes non esse evincat, illorum qvam offerunt tolerantiam mera verba esse ait sine re, vel saltim non esse mutuam & fraternam, sed καθαιρεύοντα τῶν πλήθων, qvòd fieri non possit, ut illi qvi præter

Scripturas etiam Confessionem & Catechismum agnoscunt, veram possint cum dissentientibus pacem colere. *Istos enim*, pergit, *quos fertis, an pro fratribus & Remonstrantium doctoribus agnoscitis, nec ne? & fraternitas Remonstrantica solâne fide in DEUM & JEsum Christum definitur sine ullâ restrictione ad quosvis articulos ab hominibus positos, an Confessione & Catechismo? Si hoc, penitus non fertis dissentientes; sin illud, aut illa confessio & catechismus Remonstrantium non erunt quæ à pluribus fratribus rejiciuntur & oppugnantur, aut tolerantia vestra non est fraterna.* Ferre enim errantes simpliciter, nec tamen ad communia tecum jura illos admittere, ut eâdem utrique παῤῥησία pro opinionibus vestris in publico dicatis, ejusmodi pacem esse censet, quam & à Contra-Remonstrantibus ipsi Remonstrantes obtinere possent, si scil. pariter ipsi, uti aliis eam conditionem præscribunt, à suggestu ecclesiæ abstineant, & eâ, modestia, quæ suis limitibus ab adversariis definiatur, de articulis controversis loquantur. Nec aliud velle Remonstrantes, quam ut quicunque ipsorum adscribitur societati, in eam confessionem consentiat, ex ipsâ præfatione ejus docet, quòd nempe scripta sit, *ut pessulum obderent ori eorum, qui populo persuasum voluerunt, nunquam futurum, ut in communem, clarum atque uniformem aliquam de præcipuis religionis capitibus ipsi consentiant, sed premere se nonnulla, quæ ipsa religionis Christianæ præcipua capita & quasi ἀναθήματα evertant*; quodque id actum sit, *ne quod vel necessarium vel admodum utile dogma in eâ omitteretur, neq; aut falsum aut confusum, aut denig; otiosum ac superfluum quid ibidem contineretur.* Illos ergo omnes oportere ut excludant à communione suâ, concludit, qui illis opinionibus addicti sunt, à quibus ut hæreticis se hoc scripto purgare voluerunt, & quorum dissensus concordiam fidei, quam docere cupiverunt, in articulis ibi propositis saltim necessariis (quorum à reliquis tantopere utilibus discretio procul dubio ipsis Remonstrantibus committenda fuerit) everteret. Præterea cum hæc confessio aliique communes libri non ita scripti fuerint, ut uniuscujusque membri ecclesiæ illius consensus speciatim sit requisitus, vel eo ipso magistralem in fratres sumtam auctoritatem arguit, quòd vel unius etsi de imâ plebe dissensus hic merito attendi debuerit, ne omnium illa fides diceretur, multò minùs æquum fuerit, ut quidam vel plures in ecclesiâ reliquorum fidei dominarentur. Atque sic etiam decreta consilii ecclesiastici apud Remonstrantes excluso populo formata eidem obtrudi queritur *p. 147.* cum ipsi tamen,

quando

qvando à synodis excluduntur, auctoritatem in se iniqvam usurpari clamitent.

§. 5. Etenim non abs re hæc simulatio & frustratoria φιλαδελφίας jactantia illis videtur objici, qvandoqvidem & octennio postqvam hæc à Klinckhamero scripta erant, a. 70. & 71. Anabaptistarum indulgentior pars, qvæ se Waterlandorum nomine à rigidioribus discernit Roterodami, unionem ecclesiarum, ut sine discrimine ambones permutarentur, & Remonstrantes apud Anabaptistas & Anabaptistæ apud Remonstrantes dicerent, suasqve opiniones propalarent, plus simplice vice illis sed neqvicqvam obtulit. Si enim re verâ opiniones illas, à qvibus dissentiunt, tolerabiles esse censent, qvæ saluti hominum nihil officiant, qvare tam solicitè cavent, ne in ecclesiâ proponantur, neqve alia ibi doctrina publicè audiatur, qvàm qvæ decretis ipsorum & conceptis formulis congrua est? Nam si doceri qvid eâ solum de causâ permittendum non est, qvod id errorem esse credas, utut innoxium, non possunt indignari Calvinianis idem jus in ipsos qvondam statuentibus. Confessionem etiam & apologiam populo & fortè etiam magnæ doctorum parti obtrusas potiùs esse, qvàm ejus consensu formatas, freqvens Calvinianorum accusatio reddidit credibile: inter qvos Joh. Hoornbeck. *l. 8. summæ controv. p. 577. seq. edit. Colberg.* certum esse dicit, societati Remonstrantium dogmata Apologiæ *adeò non probata* esse *ut neqvidem intellecta* sint, & eam *nunqvam in illa præter Arminiana* (sive qvinqve articularia) *dogmatum capita rogatam vel consensisse*, sed hoc spectasse versipellem auctorem, *ut venenum suum toti cœtui hoc pacto communicaret & impingeret nomini Remonstrantium, qvæ sibi graviùs fuisset seorsim ferre.* Qvod tamen Limburgius in præf. operum Episcopii & ipse Episcopius *Apol. in exam. censur. præfat. fol. 15. seq.* fortiter negant. Nolunt qvidem confessionem suam ulli homini pro regulâ fidei obtrudere, sed eam semper ulteriori examini oppositioniqve subjacere permittunt, uti præfantur. Attamen nec Reformatorum qvenqvam ita de formulis confessionum suarum loqvi, respondet Klinckhamer, ut pro fidei regulâ sint; interim eâdem præfatione caveri à Remonstrantibus, ne libertas sentiendi in vagam abeat licentiam, qvâ qvisqve coram omni ecclesiâ in formulas invehatur, easqve protervè carpat. Qvod odiosis verbis propterea propositum esse augurat, ut sic tectiùs illa κατακυρίευσις stabiliatur, qvâ sibi qvidem licentiam concesserunt formulas conscribendi publicè, qvibus populus tanqvam idolis

idolis adhæreat, sed alii eas corrigendi ecclesiamqve erroribus liberandi potestatem denegant.

§. 6. Jam verò syncretismus, qvem novi hi Collegiati fovent, qvantis parasangis Remonstranticam tolerantiam post se relinqvat, inde volunt æstimari, qvòd nullus sibi catechismus sit, nulla confessio propria, nulla doctoris supra plebem prærogativa, omnis perinde opino, secta, hæresis, æqvè in illorum cathedram confluat, omnia dogmata & propugnentur & oppugnentur pari jure in eodem cœtu, nec qvisqvam sit vel exima fæce homuncio, qvem sui debeat monstri qvod alit pudere, ne id publicè proponat. Qvicunqve se Christianos nominant & verbum DEI scriptum agnoscunt, dummodo ab idololatriâ abstineant & improbitate vitæ, nec animos hominum cogere ad fidem tentent, omnes & fratres & doctores esse permittuntur. Ita hæc colluvies hominum planè Babelicâ confusione & omnia credit & nihil, dumqve omnes hæreses complectitur, nullam profitetur & à nullâ denominatur. Atqve ut hæc tam πολυκέφαλος respublica in unam sacrorum formam convenire possit, præsertim ne ipse aliorum ab hac communi omnium oratorum admissione dissensus novum schisma pariat, anonymus auctor appendicis Langeduikianæ *pag. 99. seqq.* consilia suppeditat, nempe ut alternis vel unus dicat vel omnibus promiscua dicendi libertas concedatur, & sic etiam Sacra cœna ab utriusqve generis hominibus, qvi dicendi potestatem communem faciunt, & qvi presbyteris propriam, alternis administretur, qvemadmodum Rhenoburgi solet. Qvâ de re vid. *Kort verhaal van de opkomst der soo genaamde Rynsburger. a. 1671.* Et qvamvis contra hanc alternationem nullum tenerioris animi scrupulum objici posse contendit, nihilominus si illa vel nimis etiamnum arcta vel schismati affinis videatur, & magis catholica & perfectum plenumqve pacis typum complexa synaxis desideretur, ad qvam omnes oporteat convenire, rejectâ alterius auctoris sententiâ, qvi cuiqve in actione sacramentali patientes aures præbere jusserat, tanqvam minùs commodâ, tandem statuit, qvod si qvæqve pars apud se suos mores retineat, in universali hac synaxi neminis oporteat, nisi ipsius Christi & Apostolorum vocem audire, id est, solam Scripturam prælegere, & ea inde loca, qvæ de S. cœnâ loqvuntur, mutato per vices partium lectore. Qvod si fortè loca illa Scripturæ communi consensu non æqvè omnibus videantur aptè appliçari, vel parùm coherere & abruptè proferri, proponit aliud medium,

medium, nempe liturgiam, qvæ solis S. Scripturæ verbis constet, communibus suffragiis adornata, evitatâ omni vel minimæ disputationis causâ, ita ut uniuscujusqve qvotidianæ emendationi subjiciatur.

§. 7. Nec tamen Collegiati in laxissimâ hac societatis suæ definitione sibi constant. Galenus Abrahami & David Spruyt *Declar. XIX. art. p. 101.* docent, se non aversari delineationem articulorum fidei, sicubi fiat ad fundamenta spei nostræ exponenda, dummodo aliis regulam non præscribat, ad qvam mens vel scientia eorum adstringatur. Qvin & *pag. 109.* φιλαδελφίαν suam ad solos Anabaptistas & Socinianos haud obscurè limitant, cum conceptis verbis corũ tantùm, qvi ab armis & defensione, qvæ vi fit, abstinent, excommunicationem prohibent; *Om niemand van syne ghemeenschap af te weeren, die de H. Schrifture voor syn regelmate in leer en leven aennemende, den gecruysten Christum, dat ootmoedige en sachtmoedige Lam, in ware ghelatenheydt en weerlose lydtsaemheydt navolght.* Qvod & Zwickero Sociniano observatum, à Remonstrantium vero doctore Pontano, de laureæ gloriâ in hac arenâ cum ipsis certante, acriore animadversione notatum est. Etiam Klinckhamer cum *p. 13.* perinde ut reliqvi, tres vel qvatuor qvas superiùs nominavimus conditiones Remonstrantibus concedit, ut non tantùm S. Scriptura pro unicâ regulâ vitæ & fidei accipiatur, sed & abstineatur ab idololatriâ, impuritate vitæ & imperio in alienam fidem, nescio annon pariter cum illis & Pontificios & Qvakeros excludat, qvibus Scriptura S. regula talis non est & qvorum hi non majores hostes in Angliâ experiri solent, qvàm Anabaptistas, ex qvibus Collegiati surrexerunt, illos verò etiam idololatriæ reos Arminiani arguunt; fortè etiam excludit nostros & Calvinianos, non tantùm qvâ tolerantiæ collegialis impatientes sunt, sed & qvâ nostra & Anabaptistarum moralis Theologia non conveniunt. Atqve ita si Klinckhamero aliisqve ejus sociis perinde ut aliis Anabaptistis prohibitio armorum illius disciplinæ necessariam videtur partem facere, qvod hactenus nusqvam, qvod sciam, negarunt, redibit hæc omnis illorum tolerantia non tantùm ad eosdem limites, ad qvos Galenus eam restrinxit, sed ad arctiores etiam, qvòd Anabaptistæ vulgò & Sociniani multò magis qvàm Remonstrantes, qvos φιλοπραγμοσύνας accusant, opinionum suarum tenaces sint.

§. 8. Nihilominùs qvi integram confessionem eorum, à qvibus dissident, ferre non possunt, præter illa tamen capita, qvæ speciatim re-

jiciunt, reliqva omnia ultro citroqve apud se ventilari ac defendi non tantùm facilè patiuntur, sed & tanqvam rem in ecclesiâ necessariam optant atqve jubent, ne qvod fortè in alienam fidem arripiatur dominium, si in sententiâ oratoris auditores oporteat acqviescere. Revolviturqve ita omnis hic affectati universalis syncretismi apparatus ad promiscuam dicendi licentiam, qvâ unicâ Remonstranticam tolerantiam qvam certissimè superant. Ubi notare possumus contrarium Collegiatorum studium ab eo, qvod celeberrimus qvidam Theologus nostras in ejusmodi Collegiis collegialiqve libertate prodidit, cum se in illis ab omnibus, qvæ controversa sunt aut disputationem gignunt, solicitè abstinere, aliisqve ut inde sibi caverent legem dedisse professus est, ut unicè qvæ ad vitæ spectant emendationem, ibi proponerentur. Ita enim qvod illis palmarium, huic alienum est, qvodqve illi maximè affectant, & cujus causâ collegia instituunt, hic maximè sibi fugiendum esse censuit. Fatendum tamen est, neqve in hac fugâ seu præcisione controversorum fidei capitum caveri posse, qvò minùs, cum sine examine qvisq; in scenam prodire permittitur, etiam omnis generis hæretici dicant, & vel sub schemate commendandæ sanctitatis morum, hypotheses falsas ac periculosas immisceant, ita ut syncretismus aliqvis conservativus ferè de ratione ejusmodi collegii esse videatur, nisi qvos in societatẽ ejus cooptes, solicitè exploraveris.

§. 9. Fundamentum instituti sui ponunt Collegiati in universali ecclesiæ apostasiâ, qvâ statum rerum nostrarum hodie ita corruptum atqve perditum esse censent, ut nulla amplius in orbe ecclesia visibilis, nullum regnum Messiæ, nulla gloria Apostolicæ presbyterialisve cathedræ supersit, sed misera barbaries, ignorantia atqve incertitudo mentis omnia occupaverit; cujus inopiæ agnitio nos deducere debeat ad tollenda schismata, fastumqve omnem deponendum, ne in fratres vel anathema vibremus, vel docendi jus nobis accipiamus. *vid. Gal. & Spruyt. præfat. *** & declar. XIX. art. p. 32. seqq.* Scilicet in hac schismatum inter Christianos freqventiâ, qvâ qvæqve pars se pro verâ ecccleſiâ, suamqve sententiam pro doctrinâ Apostolicâ venditat, nullam censent posse dari qvæstionum justam decisionem, nisi per miracula vel immediatam qvandam DEI revelationem, & id genus spiritualia charismata, qvæ Apostolorum tempore floruerunt, qvippe qvæ semper sint & esse debeant ecclesiæ DEI propria, cum qvibus & ipse ejus visibilis status intercidat, *ib. p. 46. 47. 48. &c.* neqve sine tali ope licere contendunt ecclesiam vel

ejus

ejus officia à genuino flore suo dudum collapsa restituere, omnemqve qvæ superiore seculo tentata est reformationem ad novam sacrorum formam instituendam, sine mandato sine exemplo factam esse, sub incertâ spe tantummodo ratihabitionis divinæ *p. 44. 50. seqq. 87. seqq.* Itaqve præstare illâ hic uti modestiâ, qvæ nostris temporibus conveniat, ne qvid nisi sub emendatione alienâ in publicum proferatur, & cujusvis assidentium examini publico verba oratoris subjiciantur. *ibid.* Qvâ modestiâ nostrâ DEUM motum iri sperant, ut maturiùs privilegia illa ac dotes ecclesiæ, qvas ab initio habuit, qvosqve nostrâ culpâ perdidimus, nobis restauret. *ib. præfat.* **2. Atqve ut de omni ecclesiâ ejusqve officiis sentiunt, ita etiam de Sacramentis, se tam baptismum & eucharistiam, qvàm disciplinam ecclesiasticam ac χειροθεσίαν presbyterialem, ut hodie administrantur, minoris dignitatis & necessitatis æstimare, qvàm cujus illa fuerunt in primitivâ ecclesiâ, *pag. 77.* nec baptismum debere esse medium homines ad suam formulam aut factionem adigendi, vel separandi se ab illis, qvi inde malint abstinere, *p. 102. & 104.*

§. 10. Videmus in hac oratione tragicos Pontificiorum cothurnos novo pedi aptari, & iisdem argumentis communem scepticismum fulciri, qvibus illi privilegium veritatis & ecclesiæ sibi solis attribuunt, nempe successionis ecclesiasticæ, miraculorum, & verbi oralis necessitate. Neqve gratior illi parti accidere poterit disputatio, qvàm qvâ omnis superioris seculi reformatio ab ipsis illis, qvi se inter reformantium posteros numerari volunt, arguatur ob defectum auctoritatis & vocationis divinæ, ut horum desperatio ipsorum adaugeat triumphos. Distinguunt qvidem collegiati inter superstitiones cavendas & novas leges conditas, in illis non in his majorum suorum diligentiam probantes, adducto exemplo Judæ Maccabæi, qvi pollutum ethnicâ licentiâ altare destruxit qvidem, sed de ruderibus qvid fieret, futurum Prophetarum judicium expectavit. *1. Mac. 4. v. 43. seqq.* ut pariter illi, qvi ab ecclesiâ Rom. ejecti erant, in privatâ sui emendatione acqviescere debuerint sine legibus fidei ceremoniarumqve latis, usqve dum Deus pristinâ Spiritûs virtute ecclesiam suo nitori restitueret; certum tamen est, si ex lectione scripturarum nonnisi conjecturalis datur scientia, qvâ dissidentium partium lites componi neqveunt, neqve de Pontificiorum erroribus aliam haberi posse certitudinem, & sic omnem non tantùm reformationis, sed & ipsius dissensûs causam in majoribus reddi dubiam & suspectam. Nihilominùs dum hoc adversariis palpum

obtrudunt, ad necessarium eos certamen provocant, qvia (1.) ecclesiæ visibilis florem longè eminentiorem reqvirunt, qvàm qvò illi possunt pertingere (2.) qvod illis pro maximo absurdo est, eandem penitùs censent in orbe terrarum periisse, atqve ita (3.) Pontificios, qvi hactenus soli ecclesiam constituere sibi visi sunt, eâdem qva se ipsos desperatione involvunt, & (4.) rejectis omnibus illorum traditionibus & miraculis solam Scripturam pro unicâ fidei regulâ agnoscunt. Ne tamen & ad Socinianas atqve Arminianas partes transiisse viderentur, qvi etiam ecclesiam visibilem penitus deficere posse statuunt, & Sacramentorum tum necessitatem tum virtutem vilipendunt, fecerunt acri harum hypothesium oppugnatione Zvickerus & Pontanus, qvorum neuter ferre potuit, hac ratione sectæ qvoqve suæ nomen veræ ecclesiæ denegari.

§. 11. Molitus jam ante erat eadem paradoxa ab anno hujus seculi XLV. qvidam A. B. (qvem tanqvam sibi notum, virum honoratum & inter Calvinianos educatum excipit Hoornbekius *lib. 6. s. contr. p. m. 463. seqq.* & ut Hebraicè non indoctum laudat, qvòd Judæorum convertendorum aliqvando studium unicè præ se tulerit, *p. 523.* nos verò pleno nomine Ad. Borellum esse accepimus) tum erotematibus ad omnes ecclesias evangelicas datis, tum diatribe, cui titulum fecit: *Ad legem & ad testimonium.* aliisqve libellis Maresio & Hoornbeckio oppositis: ex qvibus erotemata denuo prodierunt a. LXVI. sed, ut apparet, nonnihil ab iis, qvæ Hoornbeckius legit, immutata. Ubi multò etiam qvàm alii severiùs, *n. 110. 148. & 174.* omnes catechismos, confessiones, sermones ac interpretationes Scripturæ abrogari debere judicat, ut solum verbum DEI scriptum, ipse inqvam textus S. Scripturæ, catechismus & liturgia Christianorum sit, qvâ ecclesia sic contineatur, ita ut juxta *n. 168.* præstet secretò DEUM colere solius S. Scripturæ lectione, qvàm conjungi ecclesiæ humanam sacrorum formam secutæ. In eundem sensum idem Hoornbeeckius & communicatas secum à Riveto literas cujusdam Eusebii Meisneri de a. 1636. recitat, & præterea tum ex superiore seculo Matthæi Radecii & Francisci Puccii, literis Socini refutatorum, & Theodori Coornhert, Amstelodamensis, tum ex hoc nostro, Adolphi Venatoris inter Remonstrantes, & Expectantium Qværentiumqve *the Seekers and Waiters* inter Anglos, ab Honorio Reggio descripta, similia somnia. Qvæ ipse qvidem ad succinctum aliqvod examen revocavit, sed in hypothesi, qvæ scepticismo adversarii minùs respondet, qvasi non de fide ipsâ sed jure tantùm

tàntùm docendi qvæstio sit. Qvàmvis autem ipse speret sectam illam vel jam evanuisse vel mox evanituram esse, & nunc etiam, an omnes Collegiati in his principiis à Galeno & Sprutio resumtis conveniant, eò magis liceat dubitare, qvò minùs homines ob sententiarum concordiam in hanc societatem confluunt, qvia tamen eadem & à Klinckhamero defenduntur contra Pontanum, & præterea ipsa res hujusmodi hypotheses ferè reqvirit, sine qvibus illa syncretismi Collegialis forma vix stare posset, & nos operæpretium esse censemus, in illas tanqvam fundamentum causæ intueri, atqve adeò ad easdem penitus examinandas in arenam descendere. Ubi triplex potissimùm qvæstio expendenda fuerit (1.) *An ad ecclesiam visibilem & obeundum in illâ presbyterium reqvirantur conspicua ejusmodi Spiritûs S. dona, qvalia in primitivâ ecclesiâ floruerunt?* (2.) *An post ablationem eorum donorum certum aliqvod fidei & controversiarum decidendarum fundamentum apud nos hodie superstit?* (3.) *An dissentientes in fundamento fidei ad collegialem societatem possint admitti?*

§. 12. Pro primâ qvæstione statum ecclesiæ primitivæ ita depingunt Galenus & Sprutius *p. 7. 15. 17. 22. seqq.* qvòd suis officiis & charismatibus juxta enarrationem Apostolicam *Eph. 4 v. 11. seq. & 1. Cor. 12. v. 4-12. & 27-30.* distincta, ubiqve instructa fuerit sufficiente sapientiâ & cognitione rerum, discretione spirituum, virtute potentissimâ corrigendi immorigeros, constituendi doctores, iisqve dona Spiritûs S. per χειροθεσίαν impertienda, ita ut in qvòvis Doctore & Pastore ecclesiæ reqvireretur (1.) mediata qvidem, sed indubiè *divina vocatio*, sive ab ipsis Apostolis, sive ab aliis qvibus id mandatum erat, unde ipsi vocati jure ac auctoritate divinâ pollerent, & legatione Dei Christiqve fungerentur. (2.) exacta *notitia* accepti *mandati* divini, ne ab ejus limitibus aberrarent (3.) *idonea* animi *vires* ad legationis suæ modum ritè observandum (4.) *veritas doctrinæ* perfectè pura, uti par erat, proposita sine ullâ erroris intermixtione (5.) *regimen ecclesiæ* inculpatum pro auctoritate & charismatibus divinitùs concessis (6.) *disciplina* virtute Spiritûs exactissimè exercita (7.) *integritas vitæ*, doctrinæ cœlesti ut perfectum exemplar imitationis respondens. Qvæ distincta enumeratio partium officii sub qvatuor posterioribus numeris comprehensa, præter ea ἱκανότητα reqvisita, qvæ numeris tribus prioribus complectuntur, manifestè evincit, qvòd non actu tantùm primo, sed & secundo seu ipso exercitio, illa in omnibus primæ & Apostolicæ ecclesiæ doctoribus extitisse velint, cum aliàs in notitiâ mandati

& rectè se gerendi viribus, doctrinæ veritas, regimen & disciplina ecclesiæ ac integritas vitæ jam tum includantur. Atqve ita omninò intelligendi sunt, cum *pag. 27.* non tantùm in doctoribus, sed & in ipsâ plebe dotes & mores illos reqvirunt, qvi digni sint virtute divinâ apud illam exercendâ, atqve ex neglectione officii ablationem dotium harum divinitus factam deducunt, *pag. 32. & 38.* ita scilicet concludentes, tantum deesse hodie veritati & honori muneris presbyterialis, qvantum hisce perfectionibus deest.

§. 13. Qvamvis autem satis grandem cumulent testimoniorum ex S. literis farraginem, qvibus illa reqvisita verorum Ecclesiæ Pastorum demonstrent, iisdem locis, ut numerum augerent, etiam ter & amplius repetitis, nullum tamen aliud laudant testimonium, qvàm qvod vel Apostolis proprium est, vel præceptum tantùm monitumqve aliqvod continet, qvales esse oporteat, vel exemplum tandem unum alterumve hujus laudis; non verò, qvod palmariam hîc fuisset, omnes qvi in ecclesiâ tunc docebant tales extitisse, & monita illa ab omnibus æqvè observata esse evincunt. Eqvidem charismata ecclesiæ Apostolicæ nimis liberaliter ad omnes ejus temporis presbyteros & diaconos extendunt, cum (1.) vocationem divinam, qvam iis assignant, non eam intelligunt, qvæ hodieqve in ecclesiarum presbyteris locum habet, qvòd ex præcepto divino generali, per communem prudentiam ad præsentes semper rerum circumstantias applicato, & secundùm providentiam DEI, mentes hominum eò qvò vult dirigentem, ad officium qvisqve suum electus sit; sed qvòd ex speciali vocantis auctoritate & charismate ad id divino concesso qvævis vocatio obtigerit, communicato etiam cum vocatis Spiritu S. eâ qvæ in Actis Apostolicis describitur χειροτονίας virtute, *vid. p. 25. 26. 70.* (2.) notitiam accepti mandati non illam volunt, qvæ ex S. literarum studio à qvovis fideli hauriri potest, sed infallibilis prophetiæ donum, qvod etiam usum & applicationem Verbi divini ad qvosvis de grege DEI pro cujusq; conditione dirigat, *vid. p. 29. seq. Borell. th. 10. 11.* (3.) sub idoneis rectè se gerendi viribus complectuntur ut alia Spiritûs S. dona, *1. Cor. 12.* enarrata, ita imprimis discretionem spirituum, & virtutem potentissimæ castigationis, qvam Paulus innuit *2. Cor. 10. v. 8.* qvamqve exercuit *1. Cor. 5. v. 5.* cum incestuosum traderet Satanæ ad perniciem carnis, *vid. pag. 8. seq.* Qvamvis enim illa in Apostolis, aliisqve Prophetis qvibusdam ac Evangelistis, qvorum in S. literis mentio occurrit, conspicuè emineant,

ut

ut illa exempla tamen in universalem regulam omnium ejus temporis in ecclesiâ officiorum figurentur, nulla causa est.

§. 14. Qvin potius ex illis monitis, qvæ Apostolus Timotheo atqve Tito reliqvit, *1. Tim. 3. v. 2. seqq. 2. Timoth. 2. v. 2. & Tit. 1. v. 5. seqq.* satis dispalescit, qvòd nec infallibili judicio hanc constituendi ordinis curam commiserit, nec alias in eo virtutes reqvisiverit, qvàm qvæ hodieqve locum habent. Doctus enim Timotheus in eâdem epistolâ qvaliter in ordinandâ ecclesiâ DEI debeat versari *cap. 2. v. 15.* utiqve ex eodem fonte, ex qvo omnes nos id scimus, modum eligendi vocandiqve presbyteros hausit: & cum idem cavere jubetur, ne cito alicui manum imponat, *cap. 5. v. 22.* (qvòd vel ad solam ordinationem pertinet, ex usu vocis in S. Scripturâ, vel eam saltim includit) etiam agnoscunt adversarii qvòd potuerit præcipitare judicium, & sic adhibitæ ubiqve justæ cautelæ & vocationis ex jussu divino factæ de unoqvoqve presbytero non fuit talis evidentia ecclesiis, qvalem ipsi somniant. Petrus ipse Sylvano fidelitatis testimonium dans cum adjectâ scientiæ causâ, ὡς λογίζομαι, ostendit se documentis & signis externis, non revelatione divinâ nisum eo adjutore uti. Certè enim donum discretionis spirituum non ad καρδιογνωσίαν vel hypocritas à veris Christianis discernendos pertinuisse, sed ad eos, qvi se prophetas esse gloriabantur & revelationes proferebant, citò dignoscendos à genuinis prophetis, vel ipsa vox docet. *conf. 1. Joh. 4. v. 1. seqq.* certè ex eventu Paulus Demam, Petrus Ananiam agnoverunt. Qvantò igitur minor fuerit evidentia de iis, qvi à presbyteris non eodem qvo Apostoli charismate præditis in collegium etiã vivis Apostolis cooptati sunt? Nam & sine præscitu Apostolorum aut successionis ordine præscriptò permissum fuisse ecclesiis sibi doctores constituere, non tantùm exemplum Apollo prodit, privatâ Ephesiorum commendatione à Corinthiis susceptus *Act. 18. v. 27. seq.* & in æmulationem etiam Pauli, Doctoris constituti, juxta *1. Cor. 1. v. 12. & cap. 3. v. 5.* sed & pseudapostolorum, qvi se apud Corinthios & Galatas ingesserunt, qvos vel eo solo nomine rejecissent ecclesiæ, qvod injussu Pauli venissent, qvi semel ipsis ordinem formaverat, si nullam sibi ejus rei libertatem relictam esse intellexissent. Jam verò non Evangelistas, nec alios doctores præter apostolos potuisse Spiritum S. impertiri, etsi presbyteros potuerint constituere, non tantum, ex *Act 8. v. 14. 15.* clarum est, ubi Samaritani à Philippo ad fidem adducti ipsorum ad se Apostolorum itinere ad eam rem indigu-

digerunt, sed & ex *Rom. 1. v. 11.* ubi se desiderare ait ipsos videre, ἵνα τι μεταδῶ χάρισμα ὑμῖν πνευματικὸν, ut aliqvod spirituale charisma illis impertiret, qvi tamen Aqvilam, Andronicum, Epænetum &c. συνεργὸς, Pauli & ἀπόστολοι ἐκκλησιῶν, juxta *cap. 16.* apud se habebant, qvi id præstitissent, si potuissent. Unde seqvitur omnes ab illis presbyteros sine tali charismatum communicatione constitutos esse. Sic etiam futuras aliorum docendi vires ab institutione & fide discendi deducens Paulus *2. Tim. 2. v. 2.* prophetici luminis vel spem vel necessitatem excludit; & virtutem Sp. S. erga nefarium hominem apud Corinthios exerturus, solam tamen excommunicationem ejus ab illis desiderat, *1. Cor. 5. v. 2. 7. 9.* non obscuro argumento, qvòd (qvantum ad regimen ecclesiæ) gravioris censuræ vires in illis, etsi partim πνευματικοῖς & prophetico dono pollentibus, agnoscat.

§. 15. Deinde si ad exempla illa attendimus, qvæ in ipso S. codice suppeditantur, facilè apparet, etiam ubi charismata non defuerunt, ipsâ praxi contra illas, qvas collegiati recensent, Dei leges sæpiùs peccatum esse ab ecclesiæ ministris, nec illibatâ adeò & purâ sanctitate constitisse omnem ubiqve membrorum compagem. Ipse Petrus Apostolus non servavit morum integritatem, cum Antiochiæ in freqventissimâ ecclesiâ mobili levitate & hypocrisi scandalum præberet, *Gal. 2. v. 11. seqq.* Paulus & Barnabas acri disceptatione de societate Marci obortâ, & inde mutuo facto discessu *Act. 15. v. 39.* prodiderunt, qvàm nec in plantandis ecclesiis se ita præstiterint inculpatos, ut in regendis illis omnes presbyteros fuisse censent hi collegiati. Ut se gesserint Asiatici præsules ex elencho ipsius Christi clarum est, cum *Apoc. 2. v. 4. seq.* Ephesius arguitur, qvòd primum Dei amorem deseruerit, & ad pœnitentiam excitatur; Pergamenus *v. 14. seq.* qvòd Balaamitica & Nicolaitana dogmata apud se toleret; Thyatirenus *v. 20.* qvòd Jesabelem impuram docere patiatur; Sardensis *cap. 3. v. 2.* qvòd opera ejus non sint plena seu perfecta inventa; Laodicenus *v. 15. seqq.* qvòd tepidus sit atqve expuendus, nudus, cœcus, miser, dum se divitem & nullius rei indigum esse censebat. Novi qvidem Coccejum & ejus seqvaces hæc epistolia Christi in allegoriam vertere, ut septem totius ecclesiæ N. T. ætates inde exsculpant, sed uti non opinor Collegiatos hac exceptione usuros esse, ita id commentum (somniantium dicam an vigilantium?) vocibus contra communem hominum sensum pro lubitu abutens, ipsâ qvoqve sui levitate facilè refutatur.

Præ-

Præterea Paulus, cum *1. Tim. 5. v. 19.* monet, ne qverelam contrà presbyterum sine duobus vel tribus testibus suscipiat, utiqve concedit, querelæ tali isto tempore locum fuisse, nec qvemqve semper partes suas rectè observasse. Sic & distinguit *v. 17.* presbyteros, qvi bene præsunt, ab aliis, qvibus hoc encomium dari non poterat. Sic de omnibus, qvos habebat, comitibus qveritur, qvòd præter Timotheum non habeat, qvi paris secum animi sit, sed omnes sua qværant, non qvæ Christi sint, *Phil. 2. v. 20. 21.* Non minùs regimen Corinthiacæ ecclesiæ, factionibus distractæ arguit *1. Cor. 1. v. 10. seqq. cap. 3. v. 3. cap. 11. v. 18.* & abusum in eâ doni lingvarum *cap. 14. toto*, qvi præcipuè cultum publicum & presbyterorum officium affecit; arguit disciplinam ecclesiasticam, qvòd modò laxa nimis fuerit, *cap. 5. v. 2.* modò nimis severa *2. Cor. 2. v. 7. 8.* Tandem neqve Timotheum tam diligenter monuisset, ut typum sanorum verborum servaret, *2. Tim. 1. v. 13.* profanas κενοφωνίας vitaret, *cap. 2. v. 16. seq.* fabulas, *1. Tim. 1. v. 4.* & παραδιατριβὰς & λογομαχίας *cap. 6. v. 4. 5.* nisi facilem ad illa lapsum timuisset, & in qvibusdam aliis doctoribus observasset. Nam de plebe qvis dubitabit, qvi errorem Galatarum de lege, & Corinthiorum plurium de resurrectione, & horum pariter schismata ac abusûs in publicis sacris occurrentes, ex scriptis ad eos Pauli epistolis observavit?

§. 16. Non negamus tamen florem primitivæ ecclesiæ fuisse multò maximum, & pluribus eam gavisam esse privilegiis, qvibus nunc caremus. Jacta sunt augusta ejus fundamenta ab ipso primum Christo in diebus carnis ejus, mox dilatata mirabili effusione Spiritûs Sancti in festo Pentecostes, & inde freqventi propagatione miraculosæ virtutis per omne latè corpus fidelium charismata dimanarunt. Eminebant multitudine prophetiarum plures fidelium chori, & lingvæ variæ, & interpretationes, & hymni, psalmi, doctrinæ audiebantur cœlitus aspiratæ. Sapientia insignis, potentissima dicendi virtus, agendi efficacia, sanationes morborum, ἀνθλήψεις, κυβερνήσεις, exornabant pulcherrimâ harmoniâ succrescens Christo mysticum corpus & exorientem ejus in terris confessionem. Qvibus omnibus nunc nos carere dotibus, in propatulo est. Scilicet oportebat ab initio ecclesiam exteriore miraculorum mirandorumqve charismatum propagari splendore, ut promtiùs colligeretur accurrens multitudo: postqvam verò illa mensuram suam attigit, & ad unitatem eam fidei adductæ sunt gentes plurimæ, qvâ agnoscunt filium Dei,

& fontem veritatis perspectum habent, jam & sine illo apparatu obtineri potest, ne vagis expositi ventis ad qvasvis deceptionis artes nutemus, & versutiæ hominum cedere cogamur. *vid. Eph. 4. v. 11. seqq.* Sustineri debuit ejusmodi adminiculis cum tenera esset Christianismi ætas; nunc roborata fides per se solo Scripturarum lumine contenta vivit. *Cum enim ecclesia catholica per totum orbem diffusa atqve fundata sit, nec miracula illa in nostra tempora durare permissa sunt, ne animus semper visibilia qværeret, & eorum consuetudine frigesceret genus humanum, qvorum novitate flagravit: nec jam nobis dubium esse debet iis esse credendum, qvi cum ea prædicarent, qvæ pauci assequuntur, se tamen sequendos populis persvadere potuerunt.* Verba sunt Augustini *lib. de verâ relig. cap. 25.*

§. 17. At duumviris nostris Collegiatis longè aliud videtur, qvi *charismata illa* qvidem extraordinaria & miraculosa fuisse censent respectu communis naturæ, non verò respectu *ecclesiæ*, sed eidem *ad perpetuam & necessariam continuationem destinata*, nec nisi ex negligentiâ & contemtu eorum apud majores nostros factum esse, ut justo judicio DEUS ea retraheret, atqve ita visibilem pariter ecclesiam interire pateretur. *vid. p. 13. & 38. seq.* Provocant eo nomine (1.) ad promissiones divinas, tum generales, *Joh. 7. v. 38. 39. Luc. 11. v. 13. Matth. 7. v. 11. Marc. 16. v. 17. seq.* (poterant addere & *Joh. 14. v. 12.*) qvòd DEUS credentibus & à se petentibus Spiritum S. ejusqve dona & virtutem miraculorum largiturus sit, sine ullâ temporis limitatione, tum specialiter etiam *omnibus qvi procul sunt* factas, *Act. 2. v. 38. seq.* & ad usqve adventum domini extensas *Luc. 19. v. 13. coll. cum 1. Cor. 12.* sub conditione tamen fidelitatis hominum ut *Rom. 11. v. 20. seq.* Provocant (2.) ad finem ipsum horum charismatum & officiorum *Eph. 4. v. 12. seqq.* indicatum, qvòd non tantùm ad confirmandam semel doctrinam novam, sed & ad omnes in unitatem fidei redigendos pertineant, ut qvousqve superstant infideles ad Christum convertendi, voluerit Christus præter presbyteros & Diaconos, etiam apostolatum & prophetiam & omnia alia id genus conversionis media in ecclesiâ continuare. Provocant (3.) ad comparationem legis & evangelii, qvorum etsi illa illustribus sancita miraculis continuâ prophetarum exertæqve virtutis divinæ successione usqve ad Christi tempora (v. g. exemplo lacûs Bethesda *Joh. 5. v. 4.*) emicuerit, relata tamen ad majorem Evangelii gloriam *litera* dicatur, cujus ministerium, huic tanqvam *Spiritûs* ministerio cedat, *2. Cor. 3. v. 7. seqq.* Unde concludunt naturam

ram novi testamenti reqvirere, ut multò glorioſiùs qvàm vetus perpetuâ chariſmatum multitudine ſemper & ubiqve abundet. Provocant (4.) ad minas & prædictiones divinas de apoſtaſiâ magnâ, & divinâ ejus vindicatione, *Rom. 11. v. 20. ſeqq. Apoc. 2. v. 4. ſeq. Act. 20. v. 29. ſeq. 2. Theſſ. 2. v. 3. ſeq.* qvæ doceant, qvare nihilominùs nunc illis careamus, qvæqve in hac paupertate noſtrâ eccleſiæ viſibilis & verorum ejus officiorum jactura ſit.

§. 18. In his omnibus tamen argumentis idem occurrit paralogiſmus, qvi in ipſâ depictione faciei, qvæ primæ eccleſiæ fuit, ut qvod *ſecundùm qvid* verum eſt, *ſimplicieter* verum eſſe velint. Nam ſi promiſſiones Chriſti ex generalitate verborum unicè æſtimare, eiqve ſtrictè inhærere velint, vel ſe ipſos fideles eſſe, in Chriſtum credere & Deum precari negent, vel etiam illis ſe miraculorum virtutibus pollere oſtendant, neceſſe eſt. Non enim eccleſiæ ſed credentibus ſingulis illa dicta ſunt: *ex ventre ejus, qvi credit in me, fluent fluvii aqvæ vivæ, i. e. Spiritûs S. qvem accepturi erant credentes: dabit pater cœleſtis Spiritum S. petentibus: ſigna credentes ſeqventur hæc; in nomine meo Dæmonia ejicient &c. Qvi credit in me, opera qvæ ego facio & ipſe faciet, & majora illis faciet.* Taceo qvòd loca hæc non videantur omnia eſſe parallela, qvòdqve cum Sp. S. promittitur, non neceſſariò intelligantur dona ejus viſibilia: id tantùm urgeo, qvod extra controverſiam eſt. Concedunt hi argumentatores, cum eccleſiæ viſibilis interitu non pariter neceſſe eſſe ut omnes ex orbe terrarum pereant fideles, ſed hodieqve in hac priſtini ſplendoris virtutisqve penuriâ ſupereſſe vera & viva Chriſti membra qvæ ſpiritualem habeant cum illo communionem, & æternâ ſalute aliqvando fruitura ſint, *vid. pag. 9. ſeqq. item p. 33.* Ergo non deſunt, in qvos & hodie illa promiſſio Chriſti convenit, qviqve vi illius debebant Spiritûs S dotibus ornati plura miracula producere, prophetias, lingvas, interpretationes eloqvi, eccleſiisq; per illa dona regendis apti eſſe, ſi promiſſio illimitata eſt, & ſic neceſſariò reducta eſt eccleſia cum omnibus officiis ſuis, qvam ex chariſmatum horum defectu ſuppreſſam eſſe ajunt. Certè qvòd de omnibus omnino credentibus id intellectũ noluerit Chriſtus, cum ita promitteret, etiam vigente eccleſiâ Apoſtolicâ eventus docuit, ubi non omnes erant πνευματικοὶ, ſed & qvidam idiotæ *1. Cor. 14. v. 16. 24. & 37.* nec omnium πνευματικῶν eædem virtutes. *cap. 12. v. 29. ſeq.* Idem eventus etiam doceat, qvòd nec ad omnem ætatem eccleſiæ eadem promiſſio

respiciat, sicut nec ad illos spectavit, qvi ante ascensionem Christi in cœlum in verâ fide obdormiverunt, juxta *Joh. 7. v. 39.* Si Collegiatis licet conditionem verbis adjectam subintelligere, qvare non & diem adjectum subintelligemus, cum non illa magis, qvàm hic exprimatur? Pari facilitate nos hæc adstringimus ad tempora Apostolorum, qvâ illi ad rectum usum & diligentiam hominum. Qvamvis enim promissio illa videatur conceptis verbis ad posteros extendi *Act. 2. v. 39. vobis est promissio & liberis vestris & omnibus qvi procul sunt, qvos advocabit Dominus*, collato cum *v. 33. & 38.* ubi de donis effusi Spiritûs S. agi ostenditur; phrasis tamen ista, τοῖς εἰς μακρὰν *iis qvi procul sunt*, cum tam de simultaneâ qvàm successivâ distantiâ explicari possit, illam priorem significationem præferimus, qvòd remotio opponatur advocationi divinæ, qvæ fit per Evangelium, adeoq; sit remotio juris, seu moralis, non physica, & qvòd miraculosæ virtutes teste eventu etiam in gentibus conversis se exeruerint, qvarum alioqvin nulla hîc fieret mentio, in posteris verò, etsi probis & ad fidem adductis, non item. Servi autem, qvi jubentur distributis ad eam rem minis negotiari usq; ad adventum Domini, *Luc. 19. v. 13.* non attingunt seram posterorum ætatem, sed in suâ qvisq; morte Domino rationes poscenti occurrunt: & omnia omnium servorum DEI talenta esse miraculosa Spiritûs S. charismata cum nec Collegiati ausint dicere, neqve est qvòd factum DEI purè narratum ad hypotheticam torqveant promissionem.

§. 19. Secundum eorum argumentum, qvod à fine horum charismatum petunt, eodem morbo laborat, dum orationem Pauli, qvam ad plantatam semel per orbem terrarum ecclesiam DEI adstringendam esse ipsa res jubet, (ut suprà eam §. 16. exposuimus) ad continuam ejus propagationem & plenam omnium gentium conversionem extendunt. *Christus*, inqvit Apostolus, *alios dedit Apostolos, alios prophetas, alios Evangelistas &c. usqve dum occurreremus omnes ad unitatem fidei &c.* Ille terminus qvicunqve sit, in hac vitâ qværi debet, qvia est *unitatis fidei*, qvæ in alterâ vitâ cedit visioni, 2. *Cor. 5. v. 7.* & si extitit unqvam vel extiturus est, officia & charismata hæc Apostolica ad efficientem ejus non formalem causam pertinent, ut postqvam ad hanc perfectionem perventum est, manere illa necesse non sit, antea autem auferri neqviverint. Qvod enim medium debet esse obtinendæ perfectionis id, nisi & ipsum finem Deus jam iterum nolle cœperit, ob imperfectionem vel negligentiam nostram subtractum

tractum nobis esse, eâdem probabilitate dicitur, qvâ Judæi Messiam ad peccata delenda destinatum propter eadem adventum retardare fingunt. Neqve hîc promissio est, qvæ à conditione tacitâ suspendatur, sed factum narratur, qvòd Christus eos *dederit usqve dum &c.* ideoqve utut fieri potuerit ut finis impediretur, divinæ tamen liberalitati nihil decessisse, certum est, atqve ita verba Pauli de eâ datione Apostolorum & Evangelistarum &c. intelligi debent, qvæ re verâ facta est, & de eo pariter fine, qvi per illam unius ætatis felicitatem obtineri potuit. Etenim de Apostolis, qvi κατ' ἐξοχὴν ita appellantur ut superiore Evangelistis gradu constituti, ita loqvitur Scriptura, ut posteris non successionis spem, sed prioris ævi memoriam commendet, *2. Pet. 3. v. 3. Jud. v. 17. conf. Act. 20. v. 29.* qvòd fundamentum jecerint, unde omnis templi divini, seu ecclesiæ DEI, moles exurgat, *Eph. 2. v. 20. seq. conf. 1. Cor. 3. v. 10. seq.* qvòd debuerint Christum vidisse *1. Cor. 9. v. 1. cap. 15. v. 7. seqq.* & immediatæ vocationis auctoritate ab ipso pendere *Gal. 1. v. 1. 11. 12. 16. 17. cap. 2. v. 6. seqq. 2. Cor. 11. v. 5.* & qvæ ipsi de Christo atqve ejus resurrectione viderant, & ex eodem audiverant, suâ fide testari *Act. 1. v. 8. 21. 22. cap. 10. v. 41. seqq. 1. Joh. 1. v. 1. & 3.* fidemqve sibi signis ac miraculis confirmare, *2. Cor. 12. v. 12.* ita ut per hos canales Evangelium ad posteros derivaretur *Heb. 2. v. 3. seq.* Unde qvantumvis sint, qvi Apostoli ecclesiarum dicantur latiore sensu, qvi nempe vel ab Apostolis strictioris sensûs ad ecclesias plantandas & Evangelium ibi, qvò ipsi pergere non potuerunt, annunciandum missi sunt, vel ab ecclesiis ad Apostolos delegati, *vid. Rom. 16. v. 7. 2. Cor. 8. v. 23. Phil. 2. v. 25.* aliiqve se falsò pro Apostolis Christi gesserunt, *2. Cor. 11. v. 13. Apoc. 2. v. 2.* nomen tamen hoc alibi ad paucos adstringitur, præter Paulum & Barnabam non alii qvam τοῖς δώδεκα datum, saltim nusqvam leguntur in ecclesiis particularibus vel Apostoli vel Evangelistæ ordinati esse. Ex qvibus iterum patet, qvòd hæc officia minimè debuerint in ecclesiâ tam diu conservari, qvàm homines convertendi restant. Itaq; si ille finis constitutorum à Christo officiorum & charismatum fuit, ut absoluta talis perfectio seu conversio omnium immediatâ illorum operâ obtingeret, rectiùs dicemus, contemtum infidelium fecisse, ne obtineretur, qvàm fidelium, ut & media ejus orbi subtraherentur.

§. 20. In tertio argumento dum omni gloriâ Novum Testamentum supra Vetus volunt extollere, maximè id reddunt inglorium, in qvo scilicet Deus ad levem & nullis ferè historiis notam doctorum socordi-

ām(qvæ qvidem omnes ubiqve ecclesias corruperit) statim omnem sub-traxerit publicam Spiritûs S. gratiam, & sponsæ, templi, corporis Christi dignitatem tam liberaliter datam ac promissam, post tota sedecim secula, inexorabili irâ, non restitutam: qvi qvondam apertâ apostasiâ atqve idolorum cultu ab Israelitis sexcenties læsus, usq; tamen mittere Prophetas, & editis miraculis homines ad saniorem mentem revocare non destitit, nec cultum templi publicum ultra 70. annos, vel duo saltim secula (juxta alium Chronologorum calculum) jacere permiserit. Nam si â lege ad Evangelium in hoc tertio comparatio instituenda est, sequitur, ut sub illâ propter peccata populi non desierunt charismata miraculosa, ita multò minùs sub hoc propter pecata populi desinere illa debuisse. Sed & hîc qvæ certo respectu ab Apostolo dicta erant, absolutè intelligunt, & comparationem, qvæ à Paulo ponitur in objecto reali ministerii, nempe *literâ occidante*, seu lege tantùm jubente & immorigeros damnante, & *Spiritu sanctificante*, seu per gratiam Evangelicam ad omne bonum opus sponte urgente, inde ad ipsam virtutem ministerii seu ministrantia charismata audacter protendunt. Gloriam qvidem ministerio Novi Testamenti inde concludit Apostolus majorem esse gloriâ Mosis, sed hæc gloria non virtutis sed honoris est, qvam corporali qvidem splendore faciei nactus erat Moses, sed longè majorem verâ æstimatione rerum acceperant Apostoli. Si ministrantem virtutem tamen utriusqve Testamenti comparare velint, habent epistolam ad Hebræos præviam *cap. 2. v. 2. seqq.* initia utriusqve, non continuos progressûs comparantem, ut hujus supra illud dignitas ostendatur. Nam qvòd Zvickerus Socinianus *pag. 37. de eccles. vis.* censet, Paulum apud Corinthios miracula non feciisse, neqve adeò illis se cum Mose comparare posse, magna subtilis, ut sibi videtur, disputatoris ἀβλεψία est, contra concepta verba, 2. *Cor. 12. v. 12. Signa Apostoli facta sunt apud vos in omni tolerantiâ, in signis & miraculis & virtutibus.*

§. 21. Qvarto argumento aliqvid concluderetur, si vel apostasia vel vindicatio ejus disertè in charismatum illorum neglectione & ablatione poneretur. Sed cum illorum nulla in locis citatis mentio fiat, sed infidelitatis tantùm, heterodoxiæ & impœnitentiæ futuræ, neqvicqvam illa ad causam suam attrahunt, & novum qvi nusqvam extat sensum S. Scripturæ intrudunt, magni scil. reformidatores humanarum commentationum. Nempe pari fagacitate hîc inveniunt visibilis ecclesiæ interitum

ritum à cessatione charismâtum primorum pendere, qvâ *pag. 27.* in hypothesi reconciliationis judæorum & inde secuturæ toti mundo vitæ. *Rom. 11. v. 15. ac præfat. ** 2.* in tempore ἀναψύξεως & ἀποκαταστάσεως πάντων *Act. 3. v. 19. 21.* illorum restitutionem futuram, novosqve sic prophetas & apostolos prioribus pares expectandos, novâ chiliasmi incrustatione repererunt, qvâ nostrorum temporum sterilitatem solantur: qvasi scilicet qvi tunc primum mirabantur & amplexuri erant exerentem se virtutem Spiritûs S. anteqvam ablatum eam posthac iri somniare poterant, in spem ejus restituendæ erigi, & propterea converti ad DEUM debuerint.

§. 22. Examinavimus hactenus argumenta Galenica, ut ostenderemus, non eam fuisse unqvam Deo mentem, sive absolutam sive in conditione positam, ut dona illa Sp. S., de qvibus qværitur, ecclesiæ continuò supereſſent, neqve *in illorum* ablatione indicium esse iræ divinæ. Nam eò usqve tantum assurgere poterant qvæcunqve de promissionibus, elogiis, minis ecclesiæ datis, aut fine charismatum proponebantur, ut id concluderent, nostrâ vel majorum culpâ factum esse ut eas dotes perdiderimus. Sed nunc etiamsi liberaliores esse atqve id omne largiri velimus, qvod his argumentationibus continetur; non inde tamen seqvitur, qvod volunt disputatores nostri, nullam hodie esse ecclesiam visibilem, seu cum his charismatibus omnem ordinem certitudinemqve publici cultûs divini sublatum esse, sed id tantùm, qvòd in luctu & sqvalore posita ecclesia, peccata & conditionem suam deflere debeat. Non enim id omne, qvod rei perpetuò destinatum est, de ejus essentiâ est: non tollitur (ut in moralibus maneamus exemplis) jus civitatis statim, cum ejus privilegia imminuuntur, non officium, cum intercipitur salarium. Non desinebat populus Israëliticus esse peculium Dei, qvamvis ab hostibus sæpe premeretur, non excidebant muneribus suis sacerdotes & levitæ, nec peribant legitima è templo sacrificia, si qvando nulli prophetæ audiebantur. Neqve adeò si nostris temporibus hæc nobis pœna est, qvòd Evangelistis & Apostolis careamus, propterea & presbyteris vel episcopis legitimis caremus, nec si hos dotibus divinis minùs qvàm decuit auctos ornatosqve habemus, propterea illegitimos vel nullos habemus. Oportebat docere, qvòd & ad hæc officia inter fideles obeunda penitus necessaria sint prophetica charismata, Deusqve his subductis nolit omnino & illa supereſſe.

§. 23. Enimverò qvòd omnis virtus decessoris in succedentibus officio

officio viris perinde neceſſaria ſit, ut optabilis eſt, nulla lex vel ratio docet. Qvemadmodum in omnibus aliis, ita & hîc diſtingvere oportet qvæ *ad eſſe ſimpliciter*, & qvæ *ad bene* vel *meliùs eſſe* reqviruntur. In conſtituendis mutandisq; imperiis ſolet Deus magnis & heroicis uti ingeniis, poſtqvam jam conſtituta ſunt, etiam à mediocribus regi poſſunt, ita & in eccleſiâ factum eſſe patet. Vetus teſtamentum per Moſen datum eſt, ingentium miraculorum operatorem, qvem ſupra omnes prophetas ponit ipſe DEUS *Num. 12. v. 6. ſeqq.* ſed poſt eum non ſucceſſit alius qvi ipſi ſimilis foret, *Deut. 34. v. 10.* Dedit DEUS Spiritum proheticum LXX. ſenioribus Iſraëlis, qvi onus populi ſociâ operâ concurrentes à Moſe auferrent, id eſt, modeſtiam & pietatem homines docerent, ne contra DEUM ita ut fecerant tumultuarentur *Num. 11. v. 16. & 24. ſeqq.* Illuſtre illud fuerat ſcholarum ſynagogarumqve initium, qvæ ab aliis ſubinde prophetis diſcipulos inſtituentibus propagatæ ſunt. Neqve enim alii fuere *filii prophetarum* per oppida judææ collecti, de qvibus legimus 2. *Reg. 2, v. 3. & 5. cap. 4. v. 38. cap. 5. v. 22.* qvòd habitaverint Bethele, Hierichonte, Gilgale, in montibus Ephraim &c. qvàm viri juvenesqve in diſciplinam prophetarum dati, ut non tantùm legem Dei & omnem ejus de ſalute noſtrâ voluntatem addiſcerent, ſed & afflatu Spiritûs S. pariter imbuerentur: conf. exemplum diſcipulorũ Samuëlis *1. Sam. 19. v. 20.* & aliud *1. Reg. 20. v. 35. ſeqq.* Unde ingens multitudo prophetarum in populo enata eſt, ita ut cum Jeſabel ferro in eos graſſaretur, ut omnes ubiq; occideret, eorum tamen, qvi ſervati ſunt ope Obadiæ, fuerint centum *1. Reg. 18. v. 4.* idqve in ſolo regno Iſraël. Horum ope conſervatas eſſe DEO publicas eccleſias fidelium, ne Jeroboamiticâ idololatriâ polluerentur, vel inde patet, qvòd poſtqvam in prophetas ſævitum erat, de reliqviis fideliũ latitantibus, tanqvam de inviſibili eccleſiâ, divinâ revelatione monendus fuerit turbatus animo Elias *cap. 19. v. 18.* Planè qvòd non tantùm continuas diſcipulorum ſcholas, ſed & ſabbathicas populi collectiones per oppida inſtituerint, elegans locus eſt qvi nos docet 2. *Reg. 4. v. 23.* ubi mulier Sunemica ad prophetam profectura interrogatur à marito מדוע אתי הלכתי אליו היום לא חדש ולא שבת: *qvare iſtuc abis hodie, cum nec novilunium ſit, nec ſabbatum?* Innuens, (ceu agnoſcunt & Hebræi & Latini h. l. interpretes) qvod illis diebus, qvibus DEUS *congregationem ſanctam* imperaverat, ſtati apud prophetam conventûs eſſent. His progreſſibus confirmatæ ſynagogæ non deſierunt cum dono pro-

phe-

phetico, sed à scribis & sapientibus pari frequentiâ continuatæ Christo probabantur, externam ibi cultûs divini formam & officii auctoritatem legitimam agnoscente, *vid. Matth. 23. v. 2.* utut traditionibus etiam magistrorum doctrina cœlestis non leviter corrupta esset. Nam qvòd alii ab ordinario Levitarum & sacerdotum officio synagogas arcessunt & Rabbinatum Judaicum, contra historiæ Hebrææ fidem est. Qvamvis enim utraqve dignitas in iisdem potuerit concurrere, sacerdotes tamen & Levitæ qvà tales non nisi sanctuario seu templo erant addicti, & extra vices excubiarum suis civitatibus concluſi, *Num. 35. v. 2. seqq. & Jos. 21. toto.* Prophetæ autem perinde ut Sapientes, qvi synagogas collegerunt, ex qvâvis tribu extiterunt, & ubicunqve habitarunt. Legimus qvidem collapsis paulatim rebus sacerdotes & levitas missos esse cum primoribus aliis ad plebem docendam, *2. Paral. 17. v. 7. seqq.* sed id extra ordinem nec à solis Levitis sacerdotibusve factum est: jubentur etiam docere omnem legem Dei, *Lev. 10. v. 11. Mal. 2. v. 7.* atq; id feciſſe innuuntur *2. Par. 1. v. 35. & cap. 35. v. 3.* sed hoc templi officium erat, præsertim in majoribus festis & populi comitiis, ut *Nehem. 8. & 9.* observatum legimus. Interim nec omnes Levitæ fuerunt Sapientes, & ad explicationem legis idonei, nec omnes Sapientes Levitæ : qvemadmodum & in Talmude inter pontificem literatum ac rudem distinguitur *Massech. Joma cap. 1. §. 6.* אם הית חכם דורש ואם לאו תלמידי חכמים דורשין לפניו אם הית רגיל לקרות קורא ואם לאו קורין לפניו *Si fuerit sapiens, concionatur, sin minùs, discipuli sapientum concionantur coram illo, si in lectione exercitatus est, legit, sin minùs, legunt alii coram illo.* Unde adeò patet Rabbinatum à sacerdotio non pependisse, sed aliam illi, nempe eam qvam exposuimus, originem esse.

§. 24. Qvemadmodum igitur olim scribæ ac pharisæi Prophetis & ipsi Mosi in jure cathedræ & colligendarum synagogarum legitimè succesſerunt, etsi non iisdem pollerent charismatibus divinis, neqve Christus illis unqvam ordinis & officii qvæstionem movit, ita etiam primis ecclesiarum presbyteris, prophetico aliove conspicuo charismate donatis, optimo jure succesſerunt alii, vel ab ecclesiis in eorum locum electi sunt, qvi qvamvis non paribus ornati dotibus idem tamen docendi colligendiqve jus haberent. Multò qvidem major poterat de synagogis & illorum ministerio dubitatio oriri, qvæ non tantùm per prophetas cœperant, sed & pluribus seculis propagatæ erant, qvàm de ecclesiis Christia-

nis, qvârum tântùm initiâ nec ubiqve (vel ſaltim incertum eſt an ubiqve) ſpiritu illo coruſcarunt, & ſtatim cum ipsâ Apoſtolorum ætate hæc defloruit felicitas. Qvod ergo in illis Chriſtus non reprehendit, qvâ fronte reprehendunt Collegiati in his? Mirum eſt qvòd qvi non niſi Apoſtolicos & propheticos doctores audire volunt, non & malint nulla Biblia legere qvàm qvæ propheticâ manu ſcripta non ſunt, vel nullos qvàm non puri auri nummos habere.

§. 25. Poſſem addere; qvod & ex ſuperſtitibus Chriſtianiſmo prophetis, cum inciperet illorum raritas apparere, nemo ſomniavit, qvantum qvidem ex hiſtoriarum monumentis conſtat, ut alios non prophetas his officiis arceret, qvis nunc ſpiritus novis hominibus ſuggeſſit? Certè ſi antiqvitatem Apoſtolicæ ætati proximam conſulimus, qvam fortè nec dum pro penitus apoſtaticâ rejiciunt Collegiati, & aliqva (non dicam Ignatianis, à Voſſio editis, & qvas Angli tuentur, qvæ totæ ſunt in honore epiſcopis qvibuſvis aſſerendo, ſed antiqviori alii) epiſtolæ fides eſt, qvam Patricius Junius edidit, Clemens Romanus, ſocius qvondam certaminū Pauli *juxta Phil. 4. v. 3.* & cum ipſo tota eccleſia Romana, Corinthiis contra Presbyteros qvosdam tumultuantibus concordiam ſvadens, nullâ factâ alterius majoris juris mentione (ſicut & Pontanus obſervat) ad contentiones tantùm evitandas epiſcopos ab Apoſtolis ipſis conſtitutos eſſe docet: καὶ οἱ ἀπόστολοι ἡμῶν ἔγνωσαν διὰ τοῦ κυρίου ἡμῶν ἰησοῦ χριστοῦ, ὅτι ἔρις ἔσται ἐπὶ τοῦ ὀνόματος τῆς ἐπισκοπῆς. διὰ ταύτην οὖν τὴν αἰτίαν προγνώσιν εἰληφότες πλείαν κατέστησαν τοὺς προειρημένους, καὶ μεταξὺ ἐπινομὴν (vel ut editor cenſet legendum eſſe, ἐπινομὴν) δεδώκασιν, ὅπως ἐὰν κοιμηθῶσιν, διαδέξωνται ἕτεροι δεδοκιμασμένοι ἄνδρες τὴν λειτουργίαν αὐτῶν. *Et Apoſtoli noſtri per JEſum Chriſtum Dominum noſtrum cognoverunt contentionem de nomine epiſcopatûs oborturam eſſe, atqve ob hanc cauſam perfectâ præſcientiâ præditi conſtituerunt illos, & deinde recenſionem ſ. legem dederunt, qvomodo ſi obdormiverint, alii probati viri in officium illorum ſuccederent.* Unde qvamvis peccatum non leve eſſe dicat, eos piè & ſanctè gregi operatos ſtatione ſuâ movere, mox tamen auctor eſt etiam injuſtè impetitis, ut malint cedere, qvàm pro honore ſuo contendere, τίς ἐν ὑμῖν γενναῖος; τίς εὔσπλαγχνος; τίς πεπληροφορημένος (vel πεπληρωμένος) ἀγάπης; ἐκπότω. Εἰ δὲ ἐμὲ σέβεσθε καὶ ἄλλους καὶ χίσματα, ἐκχωρῶ ἄπειμι, ὅ ἐὰν βούλησθε, καὶ

ποιεῖτε

ποιῶ τὰ προστασσόμενα ὑπὸ τοῦ πλήθους, μόνον τὸ ποίμνιον τοῦ χριστοῦ εἰρηνευέτω μετὰ τῶν καθεσταμένων πρεσβυτέρων. *qvi igitur in vobis est generosus, qvi misericors, qvi plenus amoris, dicat: si propter me seditio, contentio, divisiones animorum ortæ sunt, emigro, abeo, qvò volueritis, & faciam qvæ plebs imperat, dummodo ovile Christi tranqvillum sit cum constitutis presbyteris.* Ita ergo Clemens nec de expiraturo propediem episcopatûs jure, nec de legendis iis tantùm, qvibus propheticum charisma superesset, qvicqvam monens, securè credidit, omnes, etiam illos qvi ejectis per tumultum legitimis presbyteris succederent, officium suum validè capessaturos esse. Sic neqve Johannes Apostolorum ultimus, neqve Symeon Hierosolymitanus, ad cujus usqve tempora ecclesiam virginem mansisse censet Hegesippus apud *Euseb. l. 3. hist. c. 32.* nec Polycarpus Johannis discipulus, qvi sub M. Aurelio Antonino demum obiit, & cui cum Aniceto Romano cumq; Philippensibus res fuit, qvi ecclesiam catholicam moriens DEO commendavit, *vid. ejusd. l. 4. c. 14. 15.* nec qvisqvam alius legitur suæ ætatis presbyteros & episcopos, tanqvam prophetico charismate jam non ampliùs donatos sprevisse, aut muneribus suis indignos judicasse, qvod nunc videtur collegiatis; sed ipsorum potiùs consensu integrum illum presbyterorum chorum, qvem post se in suis qvisqve reliqvit ecclesiis, electum esse oportet.

§. 26. Reqvisitam tamen hodieq; necessitatem pristinorum charismatum ad hæc officia pressiùs docturi disputatores nostri, id potissimùm urgent, qvòd sine illis nec auctoritas docentis nec veritas doctrinæ certa sit. Non (1.) auctoritas docentis, qvòd nullo vel mandato divino vel exemplo S. Scripturæ pateat, qvòd absqve directorio eorum, qvi speciali ad id auctoritate ac charismate instructi non sunt, aliqvam pastoris vel episcopi electionem facere liceat, præsertim cum de ἱκανότητι pastoris qvi hodie sunt eligentes dignè judicare neqveant, primi etiam reformatores ecclesiæ ut jure successionis Apostolicæ caruerunt, ita nec electi omnino sint vel esse potuerint ab iis, qvos ipsi in ecclesiam collegerunt, *vid. pag. 69. seqq.* Non (2.) veritas doctrinæ, qvòd qvantum cuiqve prophetici spiritûs deest, tantum etiam expositio Scripturæ omnis ab illo facta, & ejus ad qvemvis fidelium applicatio fallibilis sit, & errori obnoxia. Insistit huic argumento præcipuè Borellus in erotematibus, addens qvòd primævos ecclesiæ doctores audire idem fuerit, qvod DEUM ipsum audire *num. 17.* & si qvi à veritatis tramite aberraverint, à populo, qvippe

in veritate radicato, unctionem divinam & omnem cognitionem nacto, facilè id animadverti & verum à falso distingui potuerit, *num. 13.* nunc autem præter scriptum DEI verbum nihil supersit, qvod infallibilitatem habeat, & qvicqvid à doctoribus illi additur, minoris sit, qvàm ut illo Evangelii prædicatio rectè fiat. *n. 18. 20. 51. 54. 56.* conf. & *Gal. ac Spruyt p. 48, & 75.*

§. 27. His argumentis nunc faciliùs respondetur, postqvam suprà §. 14. & 15. illis nervus jam incisus est, ubi docuimus, nec in primâ & Apostolicâ ecclesiâ universalem illam fuisse felicitatem, ut omnis fieret *infallibili* judicio vel vocatio vel suffragatio, aut recta veritatis via ab omnibus sive docentibus sive discentibus observaretur. Ita enim clarum est, qvòd nec auctoritas officii pendeat à sanctitate vel dotibus personæ (qvem in Donatistis errorem argutum ob Augustino & Optato Milevitano, nunc ferè recoqvunt hi duumviri) nec fides auditorum ab auctoritate doctorum. *Primùm* qvidem de constituendis sine auctoritate vel charismate Apostolico presbyteris subdolè qværunt exemplum vel præceptum speciale, ubi nulla causa est, qvare in generali non acqviescamus: qvid si & nos exemplum vel mandatum speciale oppugnandi, ministerii Evangelici ab his disputatoribus peteremus? vel, si malunt, concipiendæ spei salutis ulli Anabaptistæ? annon magis his aqva hæreret, qvàm nobis, qvi exempla tamen, saltim probabilia, dedimus l. c.? Debebat qvidem semper eligi optimus, sed si eligendo erratur, non propterea electio statim est nulla. Intererat apud Hebræos inter sacerdotem verum & optimum, juxta *Mal. 2. v. 7. 8.* imò & χαμμαΐων qvamvis malorum ratum tamen erat officium, qvo cathedram Mosis occupabant, ut suprà docuimus ex *Matth. 23. v. 2.* qvare ergo nec jus docendi verum habere posset in ecclesiâ Christianâ, qvi non optimus doctor est? Naturali jure cuilibet societati licet sibi rectorem eligere, ergo & Christianæ, etiam ubi nulla successio est Apostolica: ut politicus qvisqve magistratus qvomodocunqve electus, vi generalis mandati & providentiæ divinæ, est à Deo ratione auctoritatis externæ, ita & qvisqve ecclesiæ presbyter. Qvemadmodum etiam David olim exulum ad se confluentium dux factus est, ipsorum consensu, *1. Sam. 22. v. 2.* ita nec repugnat, ecclesiæ ipsius qvam collegeris suffragiis doctorem te constitui: (dummodo si non alia vocatio divina, saltim præsens rerum necessitas tibi jus colligendi dederit) ipsa enim cujusqve ad doctorem accessio suffragium eligentis

gentis est. *Deinde* cum nec prophetæ olim omnia qvæ protulerunt, ex revelatione divinâ prolocuti sint (alioqvin nil opus fuisset admonitione tali, qvalis legitur 2. *Tim. 1. v. 13.*) exemplo suo docuerunt, qvòd liceat etiam humanis vocibus, ad typum tamen præscriptæ regulæ formatis, Evangelium prædicare, nec infallibilitas fidei oriatur ex infallibilitate ministri proponentis, sed rei propositæ ad regulam collatæ. Ita Apollos necdum probè institutus docuit Ephesi, & postea ex disciplinâ Aqvilæ & Priscillæ prodiens per Scripturarum demonstrationem Evangelium prædicavit, *Act. 18. v. 25. & 28.* Hinc judicium discretionis omnibus laicis commendatur, *1. Joh. 4. v. 1. 1. Thess. 5. v. 21. 1. Cor. 10. v. 15.* ad qvod nunc etiam dari unctionem illuminantis gratiæ, temerè negatur. Certè Romani, qvos omni cognitione impletos esse persuasus est Apostolus, *Rom. 15. v. 14.* eo tempore, qvo ad ipsos scripsit, nullo pollebant tali charismate, qvale collegiati volunt, ut ex *cap. 1. v. 11.* suprà docuimus.

§. 28. Sed nunc tempus est, ut postqvam primæ qvæstioni satis fecimus, & veri nominis doctores & presbyteros nos habere docuimus, qvantumvis Apostolicæ ecclesiæ dotibus non emineant, etiam *pro secundâ qvæstione* desperatio Collegiatorum excutiatur, ut penitùs constet, *qvalis tandem post ablatas prophetias & alia ejusmodi charismata nobis fidei certitudo superfit* ? Hic verò prima viros oratio satis venustè commendat. Etsi enim ecclesiam visibilem suo splendore excidisse qveruntur, veros tamen supereſſe credentes, eamqve invisibilem DEO ecclesiam, lubenter agnoscunt, vid. *Gal. & Spr. p. 9. 10. 11.* Deumq; privatorum precibus id dare, ut donis Spiritûs necessariis, sanctisqve virtutibus sigillatim illos instruat fatentur *pag. 27. & 65. ibid.* Porro Scripturam S. sufficere homini ad salutem ajunt, tanqvam unicam & necessariam regulam *pag. 29. 30.* & sufficere ad fidem salvificam nobis instillandam, cum sine aliâ glossâ qvâvis sibi soli relinqvitur, *Borell. n. 46. 48. 50.* qvâ qvæ ad pietatem pertinent, abundè sint revelata, ut ad obtinendam salutem inde indubiè certus fias. *Klinckham. def. pag. 204.* Sed mox seqvitur *virgineos vultûs immanis cauda draconis* : Nam hujus ita planæ scil. & sufficientis Scripturæ tam operosam tamen constituunt explicationem, etiam (qvod præcipuè mirandum) in ipsâ hac qvæstione de jure collegiatismi, ut sine omnium omnis ævi atq; nationis interpretum & commentatorum collatione omnibus tam *spiritualibus* qvàm literalibus mediis adhibitis de nullo ejus loco qvid definiri, de omnium verò ad eandem causam facientium locorum ne-

ceſſariâ collatione aut paralleliſmo omninò nulla certitudo haberi poſſit, juxta *Borell. n. 137. 138. 139. 140.* Nempe (ut hæc ſpiritualia media rectè intelligas) verbum DEI orale, & chariſmata prophetica in eccleſiâ continuata multùm profutura eſſe addunt, ut clariùs breviùsqve omne dubium decidatur, qvod ex variâ ſcripturæ interpretatione (cujus ſtylus & ſcribendi occaſio nobis non æqvè cognita eſt, ac ſuæ ætatis hominibus) exurgit, *Klinckh. p. 204. it. Gal. & Spr. p. 30.* & qvomodo clariùs? qvòd nempe, qvia qvæqve hodie ſecta ad Scripturam provocat, qvarum nulla tamen divinis chariſmatibus atqve fignis ſupra alias eminet, incerta maneat veritas. *vid. p 45. ſeq.* ob qvam incertitudinem non tantùm anathemata & definitiones omnes ſynodales tanqvam temerarias & impias damnant, ſed & conciones, interpretationes, catechiſmos, hymnos, ſcholas & in genere omnem reformationem eccleſiæ, *iid. p. 63. Klinckh. p. 13. ſeq. Borell. n. 148. 154.* & perpetuâ oppoſitione verborum Pauli *Eph. 4. v. 12. ſeqq.* presbyteros generaliter omnes accuſant, qvòd profuerint *non ad inſtaurationem ſed ſcandalum ſanctorum, non ad opus ſed litigia miniſterii, non ad ædificationem, ſed deſtructionem corporis Chriſti, non ad unitatem notitiæ, ſed ignorantiam filii DEI, non ad perfectum ſed imperfectum virum, non ad menſuram plenitudinis ſed excuſſionem Chriſti, non ne maneant, ſed ut ſemper maneant infantes, jactati omni vento doctrinæ, non ad veritatem ſed opinionem, non in amore ſed odio ad ſchiſmata alenda &c.* Idqve omne accidiſſe ajunt, non ex aliqvâ laſcivià ingeniorum, ſed (qvod probè obſervandum) ex defectu chariſmatum & virtutum primævarum, ſine qvibus officium illud miniſterii eccleſiaſtici vires ipſorum ſuperaverit, *vid. Gal. & Spr. p. 16. ſeq.*

§. 29. Ex his clarum eſt, qvalem intelligant apoſtaſiam eccleſiæ inde à tempore Apoſtolorum factam, nempe qvæ omnem publicè perdiderit fidem & charitatem, (qvicqvid ſit de privatis ſingulis) idq; ob defectum chariſmatum, neceſſariò, proinde nec aliud norunt miſeris remediũ, qvàm ut poſitâ fiduciâ cum angelo Laodiceo nuditatem atq; paupertatem ſuam jubeantur agnoſcere, id eſt fateri ſe veritatem pariter cum aliis neſcire, & propterea neminem hæreſeos damnare poſſe, ita enim futurũ ſperant ut Deus, animos ſic emollitos inveniens, ad glorioſam eccleſiæ reſtitutionem, qvam cum chiliaſtis promittunt, feſtinet, *vid. præfat. *** b.* & in eum finem commendant collegia ſua & collegiales diſputationes, pro publicâ, qvæ hactenus fuit, Evangelii prædicatione ab omnis ſectæ hominibus ſine diſcri-

discrimine obeundas, qvod vocânt humilitatis sive modestiæ, tolerântiæ & *salvo semper meliore judicio* præstitum ministerium, ad institutionem Apostolicam qvàm potest proximè accedens, *vid. p. 65. 84. 85.* dum scilicet post ablata ecclesiæ officia sola nunc restat vocatio communis charitatis. *conf. p. 89. seqq.* Borellus autem neqve ausus asserere, ejusmodi instituta Deo multùm placere, (uti revera nemo horum scepticorum potest) solâ se solatur ejus conniventiâ *n. 158. & 174.*

§. 30. Contra lugubres hasce nænias spem & πληροφορίαν Christianismo omnem (ad redeuntis forte anni pythagorici terminum) longâ morte sepelientes, qvid reponemus, nisi ipsas horum hominum concessiones, qvod semper tamen sint fuerintqve verè fideles, qvi spiritualem cum Christo communionem habeant, & ad salutem æternam perducantur? Nam si ita est, oportet ut fideles illi, qvicunq; fuerint, ex S. literis fidem edocti sint, postqvam revelationes aliæ cessarunt. Si autem ipsi inde edocti sunt, nec incerta est veritas, nec concionibus, catechismis, scholis &c. temerè docetur: Qvin, addo, nihil obstat, qvò minùs contrarius veritati error & refutetur & damnetur. Fides & certitudo, veritas & rejectio erroris ita se mutuò inferunt, ut nescias qvomodo Collegiati hæc distinguere vel potiùs separare velint: nec nisi insulsa videri potest qvæstio, qvæ post ponderata ultro citroqve omnia qvæ & bene & malè ab ipsis dicta sunt, tandem remanet: *An scilicet S. Scriptura, dum singulis ad fidem concipiendam sufficit, ita sufficiat ut eam pro certâ veritate alios docere & contrarium errorem damnare possis?* Non possunt distinguere, ut alii solent, inter sufficientiam actûs primi & secundi, vel secundùm se & secundùm nos, qvia actuales agnoscunt fideles, qvibus adeò scriptura, unicum hodie credendi principium, re ipsâ mysteria fidei pandit. Qvomodo ergo certi non sunt, etiam ut doceant & rejiciant contradicentes?

§. 31. Qvatuor tamen sunt, qvæ hîc mihi videntur causari posse. Dicent fortè (1.) illos qvi sic latitant fideles, casu potiùs aut occultâ qvâdam Dei providentiâ in veram sententiam incidisse, qvàm consilio suo; tenere qvidem fidem, sed ita ut nec fundamenti sui, nec alieni erroris certi, veritatem pro opinione possideant. Huc collimare videtur, qvod ex *Apoc. 3. v. 17.* de confessione nuditatis ac paupertatis nostræ faciendâ, & ponendâ confidentia monent. Aliqvid sic videtur dici, & habet hæc causatio colorem, qvia & nos in plebe Christianâ plures observamus idiotas, qvi de legendis audiendisve Scripturis parum soliciti,

nec

nec satis etiam ad fructum ex lectione hauriendum apti, simplice ac rudi qvâdam obedientiâ assensum & fiduciam verbis presbyteri addicunt, de qvorum tamen salute, si veritatis cœlestis summa capita rectè imbiberint, vulgò non dubitamus, dubitare etiam durum foret. Attamen qvia fides est ὑπόστασις & ἔλεγχος firma & indubia notitia *Heb. 11. v. 1.* πληροφορία seu plena & nil fluctuans fiducia *cap. 10. v. 22. Rom. 14. v. 5.* & qvidem intellectûs cognitionisqve nostræ *Col. 2. v. 2.* & παῤῥησία ἐν πεποιθήσει *plena fiducia loqvendi Eph. 3. v. 12.* (qvam fidei & fidelium descriptionem multò rectiùs ad omnia tempora Christianismi extendimus, qvàm illi Apostolatûs & prophetiæ prærogativas) oportet ut qvisqve apud se statuat se de fide suâ certum esse, anteqvam fidelis & Christi discipulus, palmes, membrum velit audire. Agnitio nuditatis, qvæ Angelo Laodicæo imperatur, agnitio culpæ est, qvæ ipsius studio emendari poterat, juxta *v. 18. consulo tibi &c.* non pœnæ, in qvâ ferendâ deberet subsisti. Haud qvidem necesse est, ut omnes sint theologi, & Scripturarum abstrusa qvælibet & paralleliſmos habeant cognitos, attamen illam qvam habent de articulis fidei persuasionem vel evidentiâ cognitorum oraculorum Dei niti oportet, vel ipsâ saltim doctrinæ sibi traditæ naturâ, qvòd peccata nostra, qvæ deflere vel cavere decet, penitùs revelet, modumqve & viam veri animis solatii obtinendi exponat. Si qvi verò sint ita stupidi, ut suo judicio frui neqveant, saltim eos de præceptore oportet esse persuasos, qvòd is fundamentum propositi à se dogmatis habeat optimè cognitum, & sic internâ & ineffabili Spiritûs S. virtute apud ipsos obsignari veritatem. Atqve ita semper redit, qvod diximus, fideles & veros Christianos nullos esse hodie, nisi certum superſit veritatis cognoscendæ & erroris arguendi medium. Fieri qvidem potest, ut præceptor inter plures sententias veritatis nescius casu in id incidat qvod verum est, promtamq; reperiat in discipulo fidem, meliorem certitudinem de præceptore præsumente, etsi is qvod docet non credat; sed si id velint Collegiati, ne alio qvam hoc modo vera fides nunc existat, ipsorum nemo fidelis & Christianus erit, qvi nec de se ipsis nec de aliis sibi persuasum habent, qvòd veritatem scire possint.

§. 32. Dicent fortè (2.) hauriri qvidem ex S. literis certitudinem fidei theticam posse, sed ita ut difficulter inveniatur & facilis sit via errandi inter varia sententiarum divortia. Huc enim collimant, qvæ de difficultate styli ex lapsu temporis & circumstantiarum qvò se qvæqve verba referant ignorantiâ, de omnium sectarum æqvâ ad Scripturam provocatione

tione, & verbi oralis feliciore decisione causantur. Eqvidem fatendum est, plures inter pugnantes interpretum sententias & dolosa retia, qvæ Scripturarum studioso undiqve tenduntur, implicitos hærere, ne veritatem, qvam alii etiam tenuioris ingenii homines satis claram vident, à fuco satis possint discernere. Sed hæc omnis difficultas non ex qvâdam invidiâ Dei oritur, sciendi media expeditiora subtrahente, sed non rectâ lectione Scripturarum, & imbecillitate judicii, ad plura qvàm qvibus digerendis par est se diffundentis, qvòd nempe tempus codici sacro impendendum, glossis & sophismatibus hæreticorum datur, contra monitum Apostolicum *1. Tim. 5. v. 20.* & Christi *Joh. 10. v. 5.* ita enim fit, ne animus vel alienis præjudiciis occupatus vel multitudine sententiarum obtusus factus, vocem Spiritûs S. in sacrâ paginâ ad se loqventis capiat. Nam Scriptura utilis est, teste Paulo, non tantùm ad doctrinam, sed & ad elenchum & correctionem, *2. Tim. 3. v. 16.* Ex Scripturis refutavit Apollo Judæos, cum JESUM esse promissum illis Christum doceret, *Act. 18. v. 28.* ex Scripturis etiam Paulus repressit Galatas auctoritatem ipsius aliis erroribus postponentes, *Gal. 3.* estqve verbum hoc DEI qvod in scriptis superest hodieqve machæra spiritûs, ad omnes Satanæ impetûs arcendos data *Eph. 6. v. 17.* Habent qvidem suam qvandoqve difficultatem stylus & occasio sermonis non cuiqve interpreti satis obvia; indagari tamen & illa diligenti attentione possunt, & licet aqva sæpiùs hæreat, non omnium tamen scripturæ partium accuratâ notitiâ opus est ad veram religionem à falsâ discernendam, ut Borellus somniat. Nam verum & sui mensura est & falsi, ut rectè loqvitur, si sic omnia dixisset, qvidam sophista, & qvi vel unius dicti sensum certò habet cognitum, qvicqvid ei reverâ repugnat, tutò potest rejicere. Qvòd omnes ad Scripturam provocant dissentientes, adeò non tollit decidendi certitudinem, ut augeat. Ex principio enim utrinqve agnito feliciùs disputatur, qvàm eo, qvod probandum demum est. Propheticâ qvidem vel & cœlitùs delapsâ voce posset omnis controversia facillimè decidi; sed ea nostra felicitas est, & certitudinis argumentum, qvòd eâ non indigeamus: imperfectæ Scripturarum revelationi ita succurri debuit, non perfectæ. Ad hanc attendere jubet Christus ipse *Joh. 5. v. 39.* ita ut addat, eos qvi Mosis scriptis non credunt, neq; ori ipsius vel maximè prophetico fidem negaturos esse *v. 46. 47.* Ostendunt exempla ecclesiarum Corinthiacæ & Galaticarum & freqventia Pauli ad Timotheum monita, ut *2. Tim. 2. v. 18. cap. 3. v. 6.* qvòd inter op-

positas apostolorum & aliorum παρασήμων voces sæpè ambigui hæserint etiam in primitivâ ecclesiâ Christiani, & ubicunqve prophetas DEUS misit qvondam, Satanas etiam pseudoprophetas admiscuit. Unde admonitiones Apostolicæ de probandis spiritibus (utiqve ex verbo DEI) *1. Joh. 4. v. 1. 1. Thess. 5. v. 20. 21. Rom. 12. v. 7.*

§. 33. Dicent *(3.)* posse qvidem ex S. Scripturis decidi articulos fidei summè necessarios, non autem qvæstiones reliqvas, qvæ inter partes hodie versantur, & omnes sine dispendio salutis facilè videntur negligi posse. Huc tendit consilium Borelli & auctoris appendicis ad Langedultium de Evangelio per nuda verba Scripturæ prædicando, ut illa sola catechismus, conciones & confessiones Christianorum sint. Ita enim oportet statuere, nihil eorum, de qvibus dubitari potest, ad catechismum Christianorum pertinere, alioqvin & alia qvàm Scripturæ verba possent adhiberi, & qvæcunqve ad eum pertinent, ex solâ textus lectione (vi oppositionis) infallibiliter hauriri. Sed cum omnia hodie in controversiam vocentur, ut nullus ferè versus biblicus sit, qvi disputationibus doctorum non vellicetur, ita ut & ipsæ historiæ alioqvin planissimæ in allegorias convertantur à Qvakeris, Bohmistis & aliis fanaticis, scire velim, qvænam tandem illa esse possint, qvæ ex S. literis necessariò hauriantur & Christianismi formam constituant? Vel ipsa hæc Collegiatorum thesis, qvòd sola ad salutem sufficiat illa generalis Scripturæ confessio, à nobis in dubium vocatur, & alteram, qvòd id omne verum sit qvod ibi extat, alii non credunt, qvi vel codicem authenticum corruptum vel versiones non bene adornatas esse, vel Evangelistas & Apostolos memoriâ lapsos esse, dicere audent, ac nihilominùs Christiani esse volunt. Qvid obstat ergo, qvò minus & hæ theses necessariæ esse negentur? & sic tandem cesset indignatio illa, qvâ in omnes ecclesiarum presbyteros & episcopos feruntur, qvòd pro necessariis imperaverint, qvæ non erant? Qvid enim vel sola hæc opinio necessitatis magis peccat, qvam qvævis alia, qvò minùs & ipsa tanqvã incertæ veritatis maneat indecisa? ut sic plenissimè ex Academicis fiant sceptici, nescientes etiam an qvicqvam nesciant? an qvædam sint incerta vel adiaphora? an ipsi sint fideles? an contradicere iis, qvi se & alios diversum sentientes tolerare nolunt, debeant? Nos qvidem agnoscimus etiã, qvæstiones moveri solere multas superfluas, curiosas, inutiles, qvarum omnium plana decisio ex S. literis peti neqvit. Sed nec illas in ecclesiâ Apostolicâ omnes decisas esse constat, qvippè qvas vitare potiùs jubet qvàm rimari Paulus, *2. Tim. 2. v. 23. 1. Tim. 1. v. 4.*

&

& morbum hunc qvæstionariorũ neglectioni attentionis ad sanam doctrinam adscribit *cap. 6. v. 4.* ideoqve non possumus propterea nostra tempora magis qvàm illa ignorantiæ aut infelicitatis accusare. Erremus tandem, & pro necessariis habeamus, qvæ non sunt, certè si ipsius qvæstionis prava decisio non obstat saluti fideiqve nostræ, nec obstabit necessitatis opinio. Qvòd autem qvæstiones illæ, qvæ nos hodie ab aliis sectis principaliter distinguunt, ejus generis non sint, ut pro adiaphoris aut dubiis negligi possint, singularum examen pleniùs docebit, qvam inductionem nunc inire nostri instituti non est.

§. 34. Dicent deniqve (4.) posse qvidem privatos ex S. literis de fide suâ certos esse, sed aptos tamen non esse ut aliis eam rectè proponant, qvòd ad eam rem reqvirantur dona Spiritûs S. administrantia. Id enim præcipuum est, qvo omnis illorum disputatio nititur, qvòd postqvam cessant charismata Apostolica, opus regendæ docendæqve ecclesiæ nimis arduum sit presbyteris, ut id deserere oporteat. Huc pertinet ingens illud dubium qvod de prædicatione Evangelii verbo non penitus infallibili factâ movent, cui & facilis error & nunqvam certa fides sit. Fatemur sanè, qvòd non omnis qvi veram sententiam tenet, licet exactè teneat, & rationes ejus omnes, aptus sit ad eam rectè proponendam. Sæpiùs loqvi nescit, phrasibus abutitur, confusè & præposterè disserit, qvæ necessaria sunt tacet, atqve ita suâ culpâ alium, qvàm qvem voluit, sensum imprimit auditoribus: ideoqve docendi facultatem peculiare DEI donum esse agnoscimus. Sed pendere illam ab immediatâ qvâdam mentis illuminatione, aut peculiari ad infallibilitatem etiam spontaneam Spiritûs S. assistentiâ, qvalem Evangelistis & doctoribus primæ ecclesiæ adscribit Borellus, qvi errare qvidem volentes, non autem inviti potuerint, pernegamus. Si enim ipsi Collegiati se non putarunt ineptos esse, qvi qvod de hâc causâ credunt, publicè exponerent, rationesqve ejus ex S. literis ostenderent, nec eos, qvibus sub emendatione apud se dicere permittunt, qvare aliis & præcipuè ecclesiarum presbyteris publicè probatis & expertis illam laudem negarent? Ponamus ergo aliqvem esse eorum qvi communi illâ, qvæ & in rebus profanis datur, docendi facultate polleat, qvi idem & ecclesiæ invisibilis membrum sit, & veram fidem ex scripturis hauserit: qvare non & alios eam rectè doceret? Restat ergo ut in iis tantùm, qvæ extra causam necessitatis posita ambiguam decisionem patiuntur, doctores ecclesiæ inevitabilis erroris accusent, utiqve levis & innoxii,

qvo non visibili magis qvàm invisibili ecclesiæ qvicqvam decedit. Etenim qvod hodierni imbecillitate peccant, primitivæ ecclesiæ doctores vecordiâ vel neglectione datorum sibi charismatum peccaverunt fortè vel peccare potuerunt, juxta ipsam collegiatorum hypothesin, ideoq; eadem tunc fuit auditoris ex ore illorum pendentis certitudo qvæ nunc est, verba qvæ dicebantur non qvæ dici poterant observantis. Deniqve qvàm bellè hi Aristarchi, qvæ in nostris concionibus, scholis & catechismis carpunt, per collegiales disputationes suas emendent, proximâ dissertatione nostrâ bono cum Deo examinabimus.

§. 35. Qvia tamen doctores errare possunt, etiam in fundamentalibus & necessariis, secundùm nostram sententiam, & sæpiùs errant ex imprudentiâ, Scripturam S. autem agnoscimus sufficienter & latitudine objecti propositi & claritate proponendi nos ad salutem instruere posse, qvid opus est commentationes, conciones, catechismos humanos audire, Scripturæq; adjicere? oggerent Collegiati. An verbum illud, nostrum qvod additur, verbis scripturæ meliùs est vel certius? qværit Borellus *q. 51.* qvis dixerit? qvare ergo non abstinemus ab iis, ut errandi occasionem evitemus? Qvantumvis enim ex S. literis errorem docentis deprehendere & corrigere liceat, non indigeremus tamen hac correctione, si errandi causa evitaretur. Et qvi probabit *discipulus verba magistri* ex Scripturis, nisi eorum sensum rectius novit qvàm ille? id verò si potest, nec indigere videtur magistro, ejusve catechismis ac interpretationibus. Objicit idem Bellarminus *lib. 3. de V. D. cap. 1. §. accedat.* ut evincat Scripturæ S. illam facilitatem non esse, qvæ à nobis asseritur, sed ab ecclesiâ demum ejus sensum peti debere. Ille verò scrupulus ne nos urgeat, observare oportet, qvid interfit inter magistralem & ministerialem scripturæ expositionem, illam volunt Pontificii, cum ex alio sciendi principio præter Scripturã, ejus interpretationem moliuntur, hæc est, qvam nos amplectimur, cum Scripturam ex ipsa scripturâ illustramus, & qvod freqventi ejus meditatione didicimus, aliis rudioribus impertimur. Estqve illa expositio necessaria non tantùm in iis, qvæ ob styli aut circumstantiarum difficultatem obscuriora sunt, sed & in iis qvæ plena ac aperta, & ad salutem necessaria, idqve (1.) *ad excitandam legentis attentionem*, qvi illa facilè transiliret aut negligeret, qvæ præcipuè ad animum revocare oportuit. (2.) *ad rei intellectæ* ad causam & officium cujusqve *applicationem*, ut postqvam verum sensum qvis percepit, eo etiam animum erigat, corrigat, muniat, ne qvod theo-

theoria docuerat in praxi elabatur, (3.) *ad cavendas detorsiones hæreticorum* & præjudicia animo perperam concepta, qvibus etiam qvæ aperta sunt, redduntur obscura & ambigua. Etenim verba & phrases Scripturæ sufficerent omni homini ad rectum ipsi sensum ingerendum veritatis divinæ, si purâ certâqve mente ad eam qvisqve accederet, & eam qvam naturaliter verba habent, sententiam admitteret. Sed dum tacitas nobis fingimus verborum limitationes ac detorsiones, sive naturali malitiâ ac stupore sive præceptorum fraude allecti, illæ sanè excutiendæ animis sunt, & symbolis canonibusqve ecclesiasticis vaga detorsionis licentia compescenda. Qvemadmodum Collegiati causam pecuniariam, qvam apud arbitros disceptant, nollent recitationi scriptorum documentorũ, si præsertim prolixiora fuerint, qvantumvis clara, unicè committere, sed vel signis notare ea, in qvibus nervum rei positum esse arbitrantur, vel aliena cogitantem pluribus docere, qvæ verbis perspicuitas insit, monere, orare, ut ad ea attendat; tandem etiam indignarentur causam ut per se claram conscientiæ partium relinqvi, qvam laudo vel approbatione amici muniri cupiunt: & qvemadmodum ipsam hanc causam, de qvâ agimus, non solis Scripturæ verbis, sed multâ oratione suâ proponunt, nec nostro arbitrio relictam sed ab omnibus agnosci volunt, ita & à doctoribus ecclesiæ fieri in qvâvis fidei qvæstione, non debent mirari. Si qvid erramus, poterit is qvi causæ momenta recto judicio contemplatur, id facilè deprehendere in iis, qvæ scire nostra interest, etsi in aliis magistro non sit doctior; sicut arbiter testimonii scripti vim percipit vel rejicit, qvam, qvi id produxit, in ipsâ literâ monstraverat. Atqve ita cum certitudine Scripturæ constant catechismi & explicationes publicæ, & homogeneam in se invicem lucem reflectunt.

§. 36. Restat nunc tertia nobis qvæstio expendenda: *An dissentientes in fundamento fidei ad collegialem societatem admitti possint?* Aliàs qvæstio de tolerandis dissentientibus pendet à judicio de fundamentali consensu, ita ut utriusqve eadem causa sit, qvando cum syncretistis disputatur. Unde nec præter ipsum dogmatum controversarum examen verbis ampliùs opus esse arbitraremur, si id ageretur qvod vulgò fit, ut sub hoc tantùm schemate ecclesiæ sinus dilataretur. Sed his hominibus alia mens est, qvi non tantùm ubi fundamentum fidei salvum esse censent, jus fraternitatis ecclesiasticæ commendant, sed & ubi dubium & concussum. Nam ad fundamentalem dissensum, qvi hodie inter par-

tes est, se disertis verbis referunt *Gal. & Spr. p. 65.* qvando erigendam esse ecclesiam cum exclusione dissentientium negant, & hunc dissensum etiam pro causâ afferunt, qvare nunc non æqvè liceat ac olim *1. Cor. 3. v. 10. 12.* strenuâ operis continuatione prospicere, ut ecclesia ab omni labe immunis præstetur. Accedit, qvòd licet certus sis veritatis (& sic qvoqve fundamentalis) & nulla reqviratur charismatum primævorum ἐξοχὴ ad regimen ecclesiæ, jus tamen esse faciendæ reformationis & excludendorum dissentientium sine peculiari mandato divino, nolint concedere *pag. 19. 20. 60. 63.* Deinde cum Syncretismus, qvem alii cum dissidentibus affectant, ad anathematis tantùm prohibitionem extendatur, aut qvod summum est, participationem Sacramentorum sub spe docilitatis, qvod in Remonstrantibus notantem suprà audivimus Klinckhamerum, & in decreto Carentonienſi qvondam caverunt Hugonotæ, cum nostros pro fratribus reciperent, nempe si promittant, qvòd alios nec directè nec indirectè ad abnegandum Calvinismum solicitare velint, de qvo *vid. Maresius Consid. act. authent. Blond. Gallicè scripta p. 31.* Hi illam tanqvam nimis magistralem tolerantiam respuentes, illis de fundamento fidei dissentientibus æqvale offerunt docendi refutandiqve sui in publico jus, ita ut qvæstio tandem eò redeat : *an oporteat pati ut qvævis heterodoxia etiam fundamentalis in ecclesia doceatur ?*

§. 37. Si Independentes Angliæ de hac qvæstione consulimus, haud absimiles ferè occurrunt nobis voces Lud. Molinæi *sub fin. præf. Apolog.* ad paræneſin præmissæ; *ut ecclesiarum presbyterianarum pastores & synodi aliqvando gravem consultationem ineant, annon expediret expungi clausulam ex suis liturgiis, qvâ pastores in nomine Christi excommunicant idololatras, blasphemos, hæreticos & schismaticos.* & in ipsâ paræneſi *cap. 11. p. 204.* per claves sacro ministerio datas minimè intelligi ait, potestatem pastorum in foro externo & usu disciplinæ ecclesiasticæ *excommunicationis & exauctorationis*, & *cap. 12. p. 297.* Paulinum illud: *hæreticum devita*; non impleri excommunicando & foras trudendo, sed privatum ejus colloqvium vitando, & *cap. 8. p. 141.* etsi pastorum judicium esset ἀναμάρτητον, neminem tamen ad obseqvium alligare, qvem non priùs obligatum esse persuasissent. Dicta qvidem illa sunt contra censuram ecclesiæ, magis respectu efficientis qvàm respectu objecti, seu non eo consilio, ne omninò hæretici excludantur, sed ne ecclesiasticâ auctoritate excludantur, cum civilis tantùm potestatis sit, vim afferre, presbyteriale

riale verò judicium tantùm declarativum sit & suasorium. Sed qvi in omni hac disputatione sibi non visus est causam magistratûs agere posse, qvin ecclesiæ proderet, hîc qvoqve Collegiatorum syncretismo maluit cedere, qvàm presbyterialium rigori. Nam si nulla est excommunicandi potestas data ecclesiæ, qvod contendit Molinæus, nec Paulus voluit hæreticum doctorem officio & communione publicâ moveri, ne Alexandrum qvidem & Hymenæum, contra articulum resurrectionis locutos *2. Tim. 2. v. 17.* qvos ipse Satanæ tradidit, *1. Tim. 1. v. 20.* (ut censet auctor *p. 295.*) & monita de illorum evitatione omnia tantùm ad privatam spectant conversationem, juxta *p. 296.* ita ut etiam ab anathemate Paulino ad excommunicationem non valeat consequentia, juxta *p. 308.* sequitur sanè nullum jus esse ecclesiæ, vel nullâ saltim lege illam urgeri, ut exauctorationem vel extrusionem doctoris hæretici vel à magistratu, si Christianus est, poscat, vel cum non est, assumtà sibi potestate decernat. Qvod enim nusqvam imperatum, qvod praxi Apostolicæ adversum est, id si omninò illicitum non est, indifferens tamen est, ut fieri vel omitti pro lubitu possit: atqve ita hæreticus, qvi nolit admonitus sponte ab ecclesiâ secedere, aut eam etiam secedentem sequatur ultrò, seqve officio docendi ingerat, ferri potest, & si magistratus Christianus eum removere nolit, etiam debet. Qvi, qvantum ad rem, est ipsissimus Collegiatismus.

§. 38. Nos ut in hac qvæstione ritè versemur, primò distinguimus inter ipsos dissentientes, qvos vel à professione externâ æstimare possumus vel ab internâ animi fide, ac utroqve respectu vel simplicis erroris vel pervicaciæ postulare. Professione dissentiunt, qvi in hæreticâ vivunt ecclesiâ, ejusqve doctoribus adhærent: fide & animo, qvi contrarias veritati opiniones apud se fovent. Jam verò sæpius accidit, ut mali præceptoris bonus sit discipulus, & boni malus: ut vel non credat doctori etiam amico laicus, *in iis* qvibus fundamentum fidei concutitur, vel mentem ejus non satis intelligat, & sic, qvod dicitur, aures discentis puriores sint labiis docentium; qvod in Calvinianis phrases orthodoxas, etsi aliud agant, imitantibus qvàm frequentissimum esse credimus. Sæpe etiam accidit, ut qvi vera docentem audiunt, veritatem tamen nec assequantur, nec probent, qvamvis amorem & studium ejus singulare præ se ferant. Sicut autem ad ecclesiæ invisibilis societatem requiritur fides, ita ad visibilis communionem professio, nec sufficit præsumtio vel privata etiam certitudo de orthodoxâ fide in iis, qvi qvovis simplice vel juris vel facti

facti errore ducti cum aliena tamen ecclesia malunt communicare, ut eodem jure habeantur, qvo propria nostra membra, qvia non tantùm malum omne sed & mali species evitanda est. Debet tamen patientiùs ferri error, si absqve pertinaciâ fuerit, qvàm si animus partium & contentionis studio obfirmetur: qvæ pervicacia propriè hæresis & opus carnis est, qvod arguit Apostolus *Gal. 5. v. 20.*

§. 39. Deinde distinguimus etiam modum exclusionis, qvi vel negativus tantùm est vel positivus, ille, qvo alieni, qvi extra ecclesiam vivunt, non admittuntur, hic, qvo domestici ejiciuntur; ut & gradûs ejus tam intensivos, ratione adjecti anathematis vel minùs, tum extensivos, qvibus vel ad jus dicendi tantùm, vel & discendi, vel ad precum & sacramentorum communionem prohibendam, vel ad jus deniqve civitatis & gentium extenditur. Qvos gradûs omnes à fine suo æstimare oportet. Finis omnis censuræ ecclesiasticæ est (1.) conservatio famæ apud infideles (2.) scandali seu contagionis evitatio apud fideles (3.) emendatio malorum, qvi ejiciuntur, *vid. 1. Pet. 3. v. 16. 1. Cor. 5. v. 5. 6. 7. 11.* præcipuè de hæreticis, *2. Tim. 2. v. 17. 1. Tim. 1. v. 20.* Qvanta igitur censura ad hos fines obtinendos necessaria est, tanta etiam nobis creditur esse imperata.

§. 40. Itaqve (1.) gentium jus & conversatio politica, qvia cum omnibus hominibus nobis communis est, nec hæreticis debet denegari, caveri tamen familiaritas omnis, unde manifestum est qvòd vel induratio mali major, vel communio qvædam impietatis nobis, vel probabilis deniqve utriusqve suspicio nascatur. Hæc suspicio ab initio ecclesiam magis urgebat, cum ejus nomen inter gentes novum esset, & invidiæ pariter ac errori expositum, ubi facilè fieri poterat, & reverâ in Gnosticis aliisqve id genus hæreticis factum est, ut colluvies malorum hominum, pessimis vel exemplis vel dogmatibus Christianismi speciem induentium, homonymiâ nominis falleret, ut omnes Christiani ex illis æstimarentur, & in ipsis fidelibus imbecilliores in fraudem induceret, nisi manifestâ illorum dedignatione gentibus hic error eriperetur. Hinc 2. *Joh. v. 10. 11.* ita cavetur: *Si qvis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, ne suscipiatis eum domum, nec salve ipsi dicite: qvi enim ipsi dicit, salve, participem se facit malorum ejus operum.* Qvò etiam referas limitationem Pauli, *1. Cor. 5. v. 9. seqq.* cum disertè profitetur se admonitionem de fugiendo consortio malorum nolle intellectam de civili cum ethnicis commercio, sed cum iis, qvi se fratres vocari velint, ut neqve *cum illis unà cibus capi-*

capiatur. Etsi enim etiam ethnici hostes erant fidei, qvia tamen aperti erant & publicè noti hostes, commercium civile, qvod cum illis colebatur, non æqvè nocere poterat fidelibus, atqve id qvod cum his erat, qvi sub amico nomine hostile venenum occultabant. Huc pertinet trita ex Irenæo historia de Johanne Evangelistâ, qvòd Ephesi ex balneo illotus profugerit, cum Cerinthum ibi conspexisset. Nunc autem postqvam religionis schismata publicè nota sunt, & ubiqve constat cujusqve partis confessio, tantâ severitate opus non est, dummodo nec nimium amicitiæ indulgeas. Itaq; rigorosiores qvàm par erat videntur Patres concilii Illiberitani, cum *c. 50.* ita decernunt: *Si qvis clericus, sive fidelis cum judæis cibum sumserit, placuit eum à communione abstinere,* & Trullani cum *c. 11.* sub eàdem pœnâ prohibent, ne qvis cum illis προσοικειούσθω, ἢ ἐν νόσοις προσκαλείσθω καὶ ἰατρείας παρ' αὐτῶν λαμβανέτω, *familiaritatem ineat, aut in morbis illos accersat, & medicinam ab illis accipiat.* Conferatur *c. 3. Concil. Witteb. p. 43. 44. 56.* An civitatis jus hæreticis rectè concedat magistratus, aut commerciorum causa accersere ejusmodi hospites liceat, & exercitium religionis illis concedere, nunc non inqvirimus. Pendet ea res ab examine periculi, qvod inde contra propositos censuræ ecclesiasticæ fines prudenter timeri posset. Opera tamen charitatis, ut vocantur, qvibus alter alterum juvamus opis alienæ indigum, cuivis etiam hæretico debemus, qvod exemplo Samaritani in latrones incidentis docuit Christus *Luc. 10. v. 37.* Nam qvæ divinâ virtute & judicio ad exemplum aliorum statuit contra Ananiam & ejus uxorem Petrus *Act. 5. v. 5. & 10.* contra Elymam Paulus *cap. 13. v. 8,* non possunt ad infringendum commune hominum officium torqveri. Maximè qvidem benefaciendum est domesticis fidei, attamen & omnibus aliis, *Gal. 6. v. 10.* Cum docemur osores nostri diligere, insidiatoribus bene precari, pro convitiatoribus orare & in hostium commodum nostras qvoq; res negligere, *Ex. 23. v. 5. Matth. 5. v. 44. Rom. 12. v. 14. 1. Cor. 4. v. 12.* sub generalibus his verbis & infideles & hæreticos comprehendi certum est. Ut enim malitiam hominum odisse oportet potiùs qvam homines ipsos qvi sunt mali, ita & hæresin potiùs qvàm hæreticos.

§. 41. Qvod ad ecclesiastici juris attinet communionem, generalissima illa est, qvæ in audiendo verbo DEI consistit, nemini facilè deneganda. Qvia enim illud medium est, qvo ad fidem omnes qvi à Christo alieni sunt, tam hæretici qvàm gentiles, Judæi, Muhammedani,

convertendi sunt, ab illo qvem excludere est à spe emendationis & salutis excludere. Hinc Christus, qvi omnes qvi procul erant advocari voluit, apud omnes gentes Evangelium jussit prædicare, *Matth. 28. v. 19. Luc. 24. v. 47. Act. 17. v. 30.* etiam sub dio *Matth. 10. v. 27.* ut & factum esse Acta Apostolica passim testantur. Cavet qvidem idem Salvator noster *Matth. 7. v. 6. ne sanctum detur canibus, nec margaritæ suibus projiciantur*, qvòd vulgò de Sacramenti eucharistici providâ communicatione intellectum, nullo autem textûs indicio ad id limitatum, reverâ & ad ipsam prædicationem Evangelii pertinet, qvod utiqve non minùs sanctum nobis est qvàm Sacramenta, qvemadmodum & Lutherus in glossâ marginali de eo explicat; Das Heiligthumb ist Gottes Wort/ dadurch alle Dinge geheiliget werden: sed de qvibus id canibus suibusve loqvatur, docent verba, qvæ seqvuntur, *ne qvando conculcent eas pedibus & conversi lacerent vos.* In qvibus enim spes emendationis nulla apparet, qvi convitiis, vi & dolis impetunt Evangelii præcones, consilium Dei de se publicè irrident, Spiritumq; S. & cum illo omnia salutis media blasphemant, illi sunt, qvibus ut indignis ille thesaurus auferendus est. Sicut Paulus & Barnabas tumultuantibus Judæis responderunt *Act. 14. v. 45. seq.* & ille discipulos à calumniatoribus obduratis separavit *c. 17. v. 9.* ad qvorum exemplum homines ita pervicaciter malos, ut tutò apud eos nulla amplius fiat verbi divini prædicatio, hodieqve à concione ejicere, aut se ab illis subducere oportet. Sine illo casu autem etiam in ecclesias à Synagogâ separatas, seu propriis jam Christianorum legibus institutas, admissos esse ad audiendum infideles, hypothesis Paulina docet, qvâ abusum peregrinarum linguarum redarguit, *1. Cor. 14. v. 23. seq. Si tota ecclesia in unum collecta esset, & intraret infidelis &c.* si enim id omnino disciplina Christiana non pateretur, nec potuisset hoc argumento qvid proficere Apostolus.

§. 42. Nec alius est in ecclesiâ humani juris rigor. Nam cum qvidam in eâ re fortè imprudente zelo peccarent, *c. 84. Carthag. IV.* ita cautum esse legimus, *ut episcopus nullum prohibeat ingredi ecclesiam & audire verbum Dei sive gentilem sive hæreticum sive judæum, usq; ad missam catechumenorum:* & propterea Patres concilii *Valentini* in Hispaniâ contra canonem XII. Arausicanum decreverunt *c. 1. ut sacrosancta Evangelia ante munerum illationem in missâ catechumenorum in ordine lectionum post Apostolum legantur, qvatenus salutaria Christi præcepta vel sermones*

mones ſacerdotis non ſolum fideles ſed etiam catechumeni ac pœnitentes, & omnes qvi è diverſo ſunt, audire licitum habeant. Ubi per eos, *qvi è diverſo ſunt*, à catechumenis & pœnitentibus diſtinctos, non poſſumus niſi infideles intelligere, ſicut ſeqvitur: *Sic enim Pontificum prædicatione audit â nonnullos attractos ad fidē evidenter ſcimus.* Erat apud veteres peculiaris locus in narthece ſeu extimâ ædis ſacræ parte aſſignatus *audientibus*, qvos in ſecundo pœnitentiæ gradu conſtituit canon ultimus Gregorii thaumaturgi, qvo oportuit cum catechumenis ſtare & exire. Idem jus qvod his datum eſt, etiam hæreticis ac infidelibus datum eſſe, ex combinatione eorum in veteri formulâ miſſæ catechumenorum colligitur, qvâ, cum ad euchariſtiæ conſecrationem perventum eſt, exeſſe jubentur qvi hactenus ſacris adſtiterant: *ne qvis ex catechumenis, ne qvis ex audientibus, ne qvis ex infidelibus, ne qvis ex hæreticis. vid. l. 8. conſt. Apoſt. c. 12.* Hinc cum in *c. 11. Nic. l.* qvo de iis, qvi ſine neceſſitate vel periculo fidem abnegarunt, ſed verâ pœnitentiâ ducti revertuntur, ita ſtatuitur: τρία ἔτη τοῖς ἀκροωμένοις μήσουσιν ὡς πιστοὶ (ut legit Bevereggius) *triennium inter audientes abſolvant ut fideles*, difficilis ſenſus ſit, ſi non aperta contradictio, & diverſa lectio occurrat, cum Juſtellus legat, ὁι πιστοὶ, alii ad ſeqvens comma vocem trahant, tanqvam conditionem, ut paraphraſtes Arabs, eodem ubiqve incommodo, videtur omninò mendum ita corrigendum eſſe, ὡς ἄπιστοι *ut infideles*, qvòd infidelium proprium ſit, τοῖς ἀκροάσει ſubſiſtere. Deterior ſanè erat conditio τῶν συγκλαύσεως ſeu eorum qvi in luctu & fletu ante oſtia ſtrati, admiſſi criminis veniam precabantur, nec ad auditum verbi divini cum eccleſiâ pertingere poterant, utut privatim admoniti, qvaliter ſodomiticæ libidinis cenſuram deſcribit Tertullianus *lib. de pudicit. c. 4. non modo limine, verùm omni eccleſiæ tecto ſubmovemus.* Qvò Joh. Bona refert χειμάζοντας *ex c. 27. Ancyr.* propter idem cenſuræ objectum, qvia & hic canon de ſodomitis agit, ſed qvos rectiùs Goar & Bevereggius juxta Euchologium de energumenis explicant. Illos autem, qvi ſic ἔξω τῆς πύλης τῶν εὐκτηρίων, ut loqvitur Gregorius, *extra portas oratorii* conſtituti erant, propterea magis qvàm ipſos ethnicos ac hæreticos remotos ſtare oportuit, qvòd ſatiùs ſit veritatem non agnoviſſe unqvam, qvàm admiſſam & agnitam vel verbis vel facto abnegaſſe, juxta *2. Pet. 2. v. 21.* Unde intelligimus, qvantum & hîc interſit inter excluſionem negativam & poſitivam, hujusqve major qvàm illius rigor detur.

§. 43. Contra preces autem cum hæreticis conjungendas non-

nulli extant veterum canones, ut *Apost. 45.* ἐπίσκοπος ἢ πρεβύτερος ἢ διάκονος αἱρετικοῖς συνευξάμενος μόνον ἀφοριζέσθω *episcopus aut presbyter aut diaconus, qvi cum hæreticis comprecatus est tantùm, à communione abstineatur*, nec non *c. 72. Carthag. IV.* apud Caranzam: *cum hæreticis nec orandum nec psallendum.* qvod idem & de excommunicatis statuitur *c. seq. 73. ac c. 10. Apost.* & de catechumenis *c. 13. Arauf.* qvi etsi variè recitatur, apud alios: *catechumeni nunqvam*; apud alios; *catechumeni nonnunqvam admittendi sunt etiam inter domesticas orationes*; utroqve tamen modo ostendit regulariter id prohibitum fuisse. Laodicena etiam synodus, cujus decreta inter canones ecclesiæ universæ recepta sunt, non tantùm *c. 33.* vetat *cum hæretico & schismatico orare*, sed ipso etiam ad ecclesiam aditu illos prohibet *c. 6* περὶ τοῦ μὴ συγχωρεῖν τοῖς αἱρετικοῖς εἰσιέναι εἰς τὸν οἶκον τοῦ θεοῦ, ἐπιμένοντας τῇ αἱρέσει *qvòd non oporteat permittere hæreticis ingredi in domum DEI, qvàm diu in hæresi manent.* Qvod non durum tantùm, sed & iis, qvæ §. præced. diximus de admissione hæreticorum inter audientes, adversum esse videtur. Sed remittit Balsamon in notis ad *c. 9. Timothei Alexand.* ubi ita qværitur: εἰ ὀφείλει κληρικὸς εὔχεσθαι παρόντων ἀρειανῶν ἢ ἄλλων αἱρετικῶν; εἰ οὐδὲν αὐτὸν βλάπτει, ὅταν αὐτὸς ποιῇ τὴν εὐχὴν ἤγουν τὴν προσφορὰν; *an debet clericus orare cum adsunt Ariani aut alii hæretici? an nihil eum lædit, (nihil peccat) si preces fecerit aut oblationem?* Respondet: ἐν τῇ θείᾳ ἀναφορᾷ ὁ διάκονος προσφωνεῖ πρὸ τοῦ ἀσπασμοῦ, οἱ ἀκοινώνητοι περιπατήσατε. οὐκ ὀφείλουσιν οὖν παρεῖναι, εἰ μὴ ἂν ἐπαγγέλλοντας μετανοεῖν καὶ ἐκφύγειν τὴν αἵρεσιν. *in divinâ oblatione diaconus edicit ante salutationem* (anteqvam dicitur: *Dominus vobiscum*) *qvi communicare non potestis hinc ambulate: non debent igitur adesse nisi promittant pœnitentiam, & qvòd hæresin fugere velint.* Secundùm qvam responsionem si canon Laodicenus intelligendus est, οἶκος τοῦ θεοῦ speciatim ibi sumitur pro ναῷ seu interiore æde, ubi fideles colligebantur, & id tantùm cavetur, ne inter ὑποπίπτοντες admittantur hæretici, nec missæ fidelium qvamvis non communicantes assistant. Docetqve nos eadem responsio, qvòd precatio cum hæreticis speciatim intelligatur de precibus eucharisticis, dum qvæ de precibus & oblatione pariter proposita erant, unâ remissione ad vocem diaconi in missâ catechumenorum auditam resolvit. Nec injuriâ etiam reliqvos canones ad easdem pre-

ces

ces restringemus, qvia exclusiva in *c. 45. Apost.* Συνευξάμενος μόνον, opponitur permissioni functionis clericalis in seqvente commate, ἐὰν δὲ καὶ ἐπιτρέψειν αὐτοῖς ὡς κληρικοῖς ἐνεργῆσαί τι, καθαιρείσθω *si verò permiserit illis etiam ut clericis qvid peragere, deponatur:* & in canone Carthaginensi de precibus non fundendis cum excommunicatis, qvi alterum de precibus cum hæreticis interdictis immediatè excipit, orationi conjungitur communicatio, *qvi communicaverit vel oraverit cum excommunicato &c.* Fortè etiam huc tendit *c. 2. Ant.* μηδὲ κατ' οἴκους συνελθόντας συνεύχεσθαι τοῖς μὴ τῇ ἐκκλησίᾳ συνευχομένοις *neqve in privatis ædibus conveniendo precandum esse cum iis, qvi cum ecclesiâ non precantur,* qvia & hic de non recipiendis in aliâ ecclesiâ, qvi in aliam non admittuntur, interdictum subjicitur. Arausicani autem Patres ad oratoria in ædibus privatis tunc jam à fidelibus extrui cœpta fortè respexerunt, cum subjiciatur eodem canone interdictum de iis *ad baptisteria verò neqvaqvam* admittendis. Saltim qvando oratio dominica dicebatur, videntur catechumenos arcuisse, qvam olim non nisi competentibus traditam, nec nisi post baptismum recitatam esse ex *August. hom. 42. de commend. omt. dom. & Hieron. l. 3. adv. Pelag.* colligitur: qvòd nempe jus alloqvendi DEUM ut patrem demum per baptismum viderentur nacti esse.

§. 44. Si S. literas de hac qvæstione consulimus, palam est, qvòd eos qvi unà volunt orare, oporteat Συμφωνεῖν seu consonare, si qvidem à conjunctione precum aliqvod commodum sperant, *Matth. 18. v. 19.* Qvæ συμφώνησις etsi non debet universalis esse, in objecto tamen & personali & reali, & in ipsâ formâ orationis reqviritur, ut qvemadmodum in sociis causis cuiqve sua vis est ad eundem effectum producendum, ita & cuiqve precanti ille ad Deum pateat aditus, ut singulis precibus suum pondus benignè concedatur. Jam verò nullæ preces sunt salutares, nisi qvæ fiunt in nomine Christi *Joh. 16. v. 23. 24.* tanqvam throni gratiæ *Heb. 4. v. 16. Rom. 5. v. 2.* per spiritum gratiæ & precum, *cap. 8. v. 11. Zach. 12. v. 10.* & sanctis manibus *1. Tim. 2. v. 8. illorum* verò, *qvi aures avertunt à lege, etiam precatio est abominabilis Prov. 28. v. 9.* qvos DEUS non exaudit, *Es. 1. v. 15.* nam illa prophetæ qverela eo tempore facta est, qvo omnis populus sub Ahaso à vero cultu DEI desciverat *2. Reg. 16. v. 3. 4.* Itaq; semper ejusmodi societas fugienda non qværenda est,

nec jugum cum infidelibus trahendum, *2. Cor. 6. v. 14.* sicut recte dixit *c. 32. Laod.* hæreticorum ὅλογίας esse potiùs ἀλογίας. Etsi autem fieri potest, ut illi qvi orthodoxam fidem profitentur, animo malè sentiant vel malè vivant, etsi & illi qvi inter hæreticos degunt & errores fundamentales profitentur, ipsâ tamen praxi mentis ad saniorem viam redeant, publica tamen ecclesiæ præsumtio militat pro membris ipsius, & contra eos, qvi alienis cœtibus addicti, aut legitimè ejecti sunt. Privatim verò si qvis aliter de aliis certus, precum sibi socios eligere velit suo arbitratu, caveat tamen ne scandalum detur fidelibus. Nam pendet & illa res à prudente æstimatione ejus finis, qvem censuræ ecclesiasticæ esse diximus. Nostrates, cum in Colloqvio Thorunienſi in statu Confessionis constituti nollent præeuntem preces episcopum Pontificium seqvi, negat tamen Hulsemannus Calvinianos omni precum consortio indignos judicasse. Wiederlegung der Calvin. *Relat.* vom *Colloq.* zu Thoren *p. 33.* Alia autem precatio est, qvæ cum heterodoxis fit non ex communi consilio, sed per accidens, dum nempe eodem tempore & nos & illi ob eandem causam ad orandum DEUM excitamur; qvalis fuit causa nautarum Jonæ *c. 1. v. 5.* Neqve enim propterea à cultu divino & officio nostro tenemur abstinere, qvòd hæreticos videamus idem facere. Sic Basilium pro filio imperatoris preces fudisse commemorat Sozom. *l. 6. c. 16.* licet hæreticos qvoqve accersiverit Imperator, qvi unà precarentur. Atqve in missâ catechumenorum cum liceret olim infidelibus & hæreticis adsistere precibus & hymnis ecclesiæ, potuerunt etiam, si voluerunt, unà precari.

§. 45. De participatione Sacramentorum habemus regulas Apostolicas, qvòd *omnes simus ad unum corpus baptizati & ad unum spiritum potati, 1. Cor. 12. v. 13.* qvòd unam fidem esse oporteat ubi unum baptisma est, *Eph. 4. v. 5.* qvòdqve de uno pane mystico participemus, ut unum nostrûm omnium corpus sit, *1. Cor. 10. v. 17.* Ex qvibus patet, qvòd ubi unitas fidei & spiritûs & mysticæ cum Christo unionis non est, neqve Sacramentorum communionem ambire oporteat. Cui adstipulatur in antiqvitate ecclesiasticâ *can. 46. Apost.* Ἐπίσκοπον ἢ πρεσβύτερον αἱρετικῶν δεξαμένους βάπτισμα ἢ θυσίαν, καθαιρεῖσθαι προστάττομεν *episcopum aut presbyterum, hæreticorum accipientes baptisma aut sacrificium, deponi jubemus.* De baptismo qvidem hæreticorum acris fuit disputatio qvondam inter Africa-

fricanos & Romanos, qvæ causa & Dionysium Alexandrinum præsulem solicitum tenuit, ut ex ejus ab Eusebio *l. 7. c. 4. seqq.* recitatis epistolis clarum est, & distinctione tandem sopita in Synodo Nicænâ; sed ibi de rato vel irrito illorum baptismo qværebatur, non verò de expetendo. Eqvidem perinde esse, qvis qvem baptizet, ut sine discrimine baptizandi fidelibus vel infidelibus offerantur, nemo dixit. Neqve hæreticorum & infidelium liberos baptismo suscipimus, nisi qvos in verâ fide educatum iri sponsores promittunt, in eum finem vulgo adhibiti, ne illudatur veritas Sacramenti. Est enim baptismus stipulatio bonæ conscientiæ apud Deum *1. Pet. 3. v. 21*, fit ibi renunciatio Satanæ & ejus operibus, inter qvæ & hæresis & infidelitas est, jubemurqve eos, qvos baptizamus, docere ut servent qvæcunqve Christus præcepit, juxta *Matth. 28. v. 20.* ut rectè observat *Gerh. L. de Bapt. §. 200.* Atq; ita qvia baptizans & baptizatus sunt relata, nec ab iis, qvi illa non docent, qvi non stipulantur, qvi de Christi corpore non sunt, baptismum expetere oportet. Qvanqvam hîc circa casum necessitatis aliqvod sententiarum est divortium inter Theologos, *vid. Brochm. Syst. art. 35. de bapt. c. c. 3.* De eucharistiâ verò, qvòd ab ejus communione heterodoxi excludendi sint, consensus & veterum & recentiorum notior est, qvàm ut probatione indigeat. Neq; enim ullum magis proprium fraternitatis symbolum æstimatum est hactenus, qvo publicus innueretur in fide & salutis spe consensus, qvàm ipsa hæc altaris communio, juxta Pauli verba *1. Cor. 10. v. 18.* ideoqve ut mensâ domini & dæmonum frui pariter non possumus, ita nec cum hæreticis à verâ fide alienis & orthodoxis fidelibus pariter Sacramenti hujus vinculo copulari.

§. 46. Deniqve de jure docendi, an hæreticis contra fundamentum fidei errantibus permittendum sit, nescio magisne ineptire videantur qvi dubitant, an qvi rem solis radiis scriptam, non in S. codice tantùm sed & in communi hominum sensu ac ratione, operosè probare annituntur. Si devitandus est hæreticus *Tit. 3. v. 10.* si cavendi sunt pseudoprophetæ, *Matth. 7. v. 15.* si ab iis qvorum perversa mens est, secedendum *1. Tim. 6. v. 5.* & angelus de cœlo, si aliud Evangelium prædicaret, anathema esse deberet, *Gal. 1. v. 8.* qvid est, qvod nos compescat, qvo minùs publicâ cathedrâ talem hominem arceamus? oves Christi alienas voces non agnoscunt, sed ab iis fugiunt, *Joh. 10. v. 5.* Si hoc singularum officium est, qvanto magis multitudinis seu ecclesiæ? qvæ sanè non fugere tantùm debet, qvod concedunt Independentes, sed & fugare. Absurdum

dum enim esset, ab uno homine integram ecclesiam dissipari: sed *è medio ipsorum tolli* impium voluit Paulus, *1. Cor. 5. v. 10.* Reprehenditur præsul Pergamenus *Apoc. 2. v. 14. & 15.* qvòd *habeat eos qvi tenent doctrinam Balaam*, qvòdqve *habeat qvi tenent doctrinam Nicolaitarum*, & Thyatirenus, *v. 20.* qvòd *patiatur docere Jesabelem & in errorem ducere servos Christi.* Ista verò accusatio vel solius patientiæ unà & Collegiatismum & Independentismum jugulat, ut qvæ nullum locum invenisset, nisi & jus & officium esset ecclesiæ ejusqve rectorum, etiam vi arcere eos, qvi se ingerunt. Neqve attinet de horum præsulum charismatibus qværere, cum jam de hypothesi certò cognitæ veritatis disputemus suprà *§. 36.* propositâ. Vim autem ecclesiæ externam non aliam intelligo, qvàm qvæ adhibita est à veteribus, cum custodes portis apponerent tum subdiaconos tum alios, qvi speciatim θυρωροὶ seu *janitores* dicti sunt, de qvibus *vid. c. 22. & 24. Laod. & ibid. scholia Balsamonis & Zonaræ*, qvorum officium fuit juxta Isidorum *apud Gratianum c. 1. dist. 21. f.* ut *inter bonos & malos habentes judicium, fideles recipiant & respuant infideles.*

§. 47. Sed hæc omnia diximus de iis qvi fundamentaliter errant, qvia fundamentum fidei evertere est à fide & salute abducere, & qvod contingere cœcis doctoribus dixit Christus *Luc. 6. v. 39.* in foveam, seu æternam perniciem se aliosqve præcipitare. Qvia tamen de cujusvis errore non æqvè semper constat, interest etiam inter positivam ejectionem & negationem admissionis. In dubio res qvæqve eo qvo est statu relinqvi debet, non admittendus est suspectus, qvàm diu de orthodoxiâ ejus moraliter certus non es, non excludendus, qvàm diu de heterodoxiâ indubiè non constat: anathemâ tamen errori non dicatur, nisi fundamentalis fuerit, nec erranti, nisi malitiam prodiderit apertam. Prima fidelium cura esse debet ea, qvam commendat Apostolus, ut peccantem (sive doctrinâ sive moribus) in viam reducamus spiritu mansuetudinis, *Gal. 6. v. 1.* Si qvis verò post iteratam admonitionem credere veritati nolit, qvamvis perspicuè demonstratæ, perversam in eo mentem & αὐτοκατάκριτον ipsum jus præsumit *Tit. 3. v. 11.* Præsumtio autem illa qvamvis nondum sufficiat ad vibrandum anathema, ad arcendum tamen hominem à cathedrâ docentium omninò sufficit. Neqve enim aliter ecclesiæ prospici rectè potest, qvàm ut abscindantur qvi eam turbant, & repurgetur à fermento veritas, qvod puritati ejus aliunde admiscetur: Ita enim sicut *1. Pet. 2. v. 2.* scriptum extat, lacte animi sincero potata adolescet.

Q. B. V.

DISPUTATIO THEOLOGICA

De

UTILITATE COLLEGIORUM,

Qvam

Annuente DEO opt. max.

In inclytâ ad Varnum ACADEMIA

PRÆSIDE

JUSTO CHRISTOPHORO SCHOMERO,

SS. Theol. D. & Professore Publico, Consistorii Ducalis Assessore, ac Diœceseos Mecklenburgensis Superintendente

SOLEMNI DISQVISITIONI

sistit

DANIEL SCHRAMMIUS,

Zeidnico-Marchicus

Jam ordinatus Pastor Tribomensis.

A. C. M. DC. LXXXVI. d. XXIX. Decembr.

ROSTOCHII,

Imprimebat JACOBUS RICHELIUS, Ampliss. Senat. Typogr.

Universitäts Bibliothek Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn788077619/phys_0145

DFG

Universitäts-
Bibliothek
Rostock

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn788077619/phys_0146
DFG

Q. B. V.

DISPUTATIO QVARTA
DE
UTILITATE COLLEGIORUM

Respondente

DANIELE SCHRAMMIO, Zeidnic-Marchico.

§. 1.

PRoponunt vulgò Philosophi qvatuor causarum genera, efficientem, formalem, materialem & finalem, qvibus si non omnia contineri, eo tamen reduci posse censent, qvæ ad rei explicationem pertinent. Qvorum si seqvi methodum par est, nobis etiam de Collegiatismo disputantibus post examinatum jus & auctoritatem convocandi, qvæ *efficiens* est, postqve *formam* seu modum agendi, qvo collegiales synaxes ab aliis differunt, ad S. literarum & antiqvitatis suffragia expensum, & post causam multitudines consideratam, tanqvam *materiæ*, unde sublato sectarum discrimine collegium conflari cupiunt specialiter Collegiati, nunc deniqve ultima *effectûs*, id est utilitatis & damni ratio habenda est. Qvia enim, cum de publicis ecclesiæ collectionibus nullum dubium sit, privatæ ejusmodi societatis neqve necessitas absolutè ulla neqve prohibitio divina ostendi potest, libertatem etiam dicendi laicam, ob qvam unicè collegia expetuntur, neqve omnimodo interdictam, neqve auctoritate qvadam divinâ vel Apostolicâ munitam esse invenimus, utraqve causa ad ea principia revocanda est, unde ἀδιάφορα commendari vel reprobari solent, ut qvàm vel utilis vel noxia sit ad ea, qvæ nobis divini juris officia sunt, dispiciamus. Ex qvo etiam capite ipsi Syncretismo, qvanqvam ex Scripturis S. jam satis refutato, color & argumenta nasci possunt.

§. 2. Collegiati, qvos proprio nomine sic appellamus, finem potissimùm duplicem sibi habent propositum, alterum ut presbyteros ecclesiæ à magisterio fidei deturbent, ne in gregem domini contra exemplum Apostolicum 2. *Cor. 1. v. 24.* & contra interdictum Christi *Matth. 23. v. 10.* & Petri *1. ep. 5. v. 3.*

§. v. 3. intolerabili ámpliùs tyrannide dominentur, alterum ut divisi factionibus Christianorum animi in amorem mutuum coalescant, & altaria altaribus oppositа erigere tandem desinant. Qvippe censent, omnem illam ecclesiæ collectionem, qvæ fit ut soli audiantur presbyteri publicè constituti, qvâqve laicis promiscua dicendi libertas denegatur, eo pertinere, ut veritas opprimatur, & credulitas hominum erroribus alieni arbitrii mancipetur. Qvod ejusmodi dominatum invehant doctores omnium partium, qvicunqve hac lege gregibus suis præsunt, ut sine alienâ interpellatione dicant, stante pede se probaturum esse recepit qvondam *Klinckhamer def. cont. Pont. p. 6.* Inde enim fieri ait, ut qvæcunqve ab illis proponuntur, qvantumvis imperfecta, perversa, jejuna sint, & cum veritate pugnent, excipiantur ab auditoribus qvasi ex tripoda dicta, erroresq; sine antidoto unicè imbibantur, vinculum illud mutuæ περιχωρήσεως, qvo ecclesiæ corpus colligatur *Eph. 4. v. 16.* pereat, & sapiens ac probus qvisqve ab officio docendi juvandiqve alios, ubi id optime poterat, arceatur. *pag. 246.* Ita etiam omnem præscriptarum formularum & catechismorum apparatum ex hoc in alienam fidem magisterio dependere censet idem scriptor, qvi sic unâ liturâ deleri & fraternus amor dissentientium reduci possit, si pro eo qvi hactenus fuit colligendi more ejusmodi collegia instituantur, ubi cuiqve qvod sibi verum rectumqve visum est proferre & examini aliorum subjicere liceat. Nam *illos solos, qvi hac ratione ecclesiam reformant, ne in certas leges aut confessionem, qvæ præter scripturam cuditur, conspirent, ab omni schismatis crimine immunes esse, illos solos suis se opinionibus supra alios non efferre, illos solos nullam in alios sibi arrogare potestatem, qvam non & aliis in se concedant, illos solos reformandæ semper meliùs ecclesiæ portam pandere,* magnâ verborum pompâ gloriatur *p. 13.*

§. 3. Qvakeris pro fine ejus licentiæ, qvàm maribus fœminisqve pariter indulgent, est religiosa reverentia afflatui Spiritûs impulsoris seu luminis interni habenda, qvà non tantùm id agunt, ne sacras qvas putant prophetias extinguant, sed & ne artium literarumve studiis in præconio Evangelii qvid concedant. Propterea enim spiritum propheticum etiam mulieribus datum esse, exemplis biblicis utriusqve testamenti evincit anonymus, qvem disp 2. indicavimus, γυναικολαλίας apologeta, ut ostendat etiam ad illas pertinere qvod monuit Paulus *1. Cor. 4. v. 30. seq. si qvid alii revelatum fuerit, taceat prior: potestis enim omnes vaticinari.* Ubi pau-

cos

eos ecclesia constituit, qvibus solis publicè dicendi potestas datur, ab illis animi dotibus, qvæ industriâ, arte & literis exornantur, judicium fieri solere norunt: sed illa ut jejuna nimis & profana media convertendi docendiqve hominis aspernantur Qvakeri, qvi in omni Christianorum synaxi gratiam internæ lucis expectare qvemqve jubent, & ab illo qvi intus est veritatis sensu hominem erudiri cupiunt. Unde & ipsas Collegiatorum disputationes ut inutiles damnant, qvæ nec à Deo sint nec veritatis viam doceant, nec spiritum sapiant qvi fideles ducit, sed naturales de rebus divinis opiniones prodant, illis qvi à DEO procul absunt propriæ, à qvibus illos ad sua ceu meliora principia revocant, vid. *Pet. Henrici Vriendelycke Aenspraeck aen de Collegianten Amst. a 72.* Unde patet, qvàm contrariis studiis in eandem propemodum viam, statorum np. oratorum odium & communis libertatis amorem, propellantur Collegiati & Qvakeri, illi qvòd nemini, hi qvòd omnibus veritatis cognitionem certò constare putent.

§. 4. Apud nostrates, qvibus Collegiorum institutio placet, duplicem potissimùm illorum finem laudari animadverto (1.) *fidelium majorem emendationem* (2.) *eorundem ad mutua monendi docendiq; officia assvefactionem.* Observantur enim passim qveribundæ piorum doctorum voces de multâ carnis licentiâ, qvæ inter Christianos grassatur, & magnâ animorum securitate, qvâ sibi satis sancti & fructibus fidei divites esse videntur, qvibus jure meritoqve cum Angelo Laodiceo *Apoc. 3. v. 17.* cœcitas, nuditasqve sua exprobratur. In hac publicâ temporum infelicitate, ut jure optimo illorum solicitudo magis laudari debet qvi remedium mali qværunt, qvàm qvorum omne consilium in accusatione & lacrimis subticessit, ita & reperisse se per hæc collegia rati sunt magni viri illum restaurandæ pietatis successum, qvi aliis viis neqvicqvam hactenus tentatus est. Eâqve de causâ non alia in illis argumenta tractari voluerunt, qvàm qvæ ad vitam rectè sancteqve instituendam nos erudiunt, ne per admixtas vel philologicas vel controversas fidei qvæstiones à fine, qvem sibi propositum habent, deducantur, unde & nomen illis exercitiis proprium indiderunt, ut *collegia pietatis* appellarentur. Et qvia mutua hominum incitatio ad profectùs nostros multùm prodest, qvæ vulgò neglecta ruentis in deterius Christianismi non levis causa est, eam qvoqve iisdem exercitiis reduci posse compertum est, & rudiores qvoq; ut se invicem doceant assuefieri. Propterea gravissimus ille Theologus,

qvi primus tale nobis institutum publicè delineavit, ut & in Academiis illud seqveremur, auctor extitit, insigniter profuturum, ut juventus, qvæ S. Theologiæ & ecclesiis docendis studia sua addixit, non tantùm ad meliorem virtutum Christianarum praxin excitetur, sed & salubria officii futuri præludia in illo inveniat.

§. 5. Qvum autem rem ab illis omnibus utilitatibus, qvas sibi qvæqve pars proposita habet, examinare volumus, duo omnino nobis expendenda sunt, & ipsa finis cujusq;, qvi intenditur, honestas ac necessitas, & medii hujus ad eum vel apta vel necessaria ordinatio. Collegiati qvidem qvale monstrum alant sub specioso nomine eliminandi dominatûs fidei & studii partium, ex iis qvæ superiore disputatione proposuimus, intelligi potest, qvòdqve adeò communis scepticismus aliqvis aut opinionum immanis confusio tale bonum non sit, qvo debeamus contendere, sed omni potius studio arcere à nobis eam pestem par sit. Veruntamen qvia contrariâ accusatione ecclesias omnes onerant, atqve illud omne vitium, qvod dominatûs & factionis nomine rectè intelligitur, in illâ concludunt, cum nobis id impingunt, nullam inter extrema mediam virtutem agnoscentes, apologiâ tamen nostrâ opus est, unde constet, nullâ nobis emendatione tali opus esse, qvalem collegiati intendunt. Unde adeò omnis disputatio & de finis utriusqve necessitate & ejus obtinendi medio ad has duas qvæstiones redibit (1.) *an per oratoris presbyteri privilegia & publicas ecclesiarum confessiones dominatus fidei & inimica veritati servitus invehatur?* (2.) *an collegiorum promiscua licentia aptum utriusqve corrigendi medium sit?*

§. 6. Prioris qvæstionis affirmativam ut probent Collegiati, ante omnia pro fundamento certo ponunt, omnem hominem esse fallibilem, & propterea in qvibusvis vel decisionibus vel orationibus errorem sæpius satis crassum & varium foveri posse, deinde neminem alterius opinionibus subjiciendum esse inferunt, qvia sic etiam erroribus ejus assentiri cogatur: porro illos qvi catechismis & confessionibus jubenrur adhærere, aut voci presbyteri in ecclesiâ sonantis ad præscriptum ejusmodi libellorum, opinionibus hominum subjici, & sic qvoqve illorum erroribus; qvi sit fœdissimus alienæ fidei dominatus. Tandem auctoritate oratoris etiam non errantis supprimi tamen ajunt dotes ingenii meliores, qvibus alii excellunt ad ecclesiam cum ampliore fructu docendam excitandamqve, supprimi officium, qvod cuiqve Christiano incumbit, emendandi fratrem, supprimi ipsum finem convocationis ecclesiasticæ, ut nempe omnium vocibus communis

munis utilitas qværatur. De posteriore qvæstione eo minùs dubitant, qvòd in ejus affirmatione non nisi immediata illius vitii, qvod depinxerunt, antithesis contineatur, dum in communi dicendi jure cuiqve naturalis libertas examinandi errores ab oratore propositos relinqvitur integra, in qvibus juxta illud Horatianum: *sæpe etiam est olitor valde opportuna locutus*, & sub sordido palliolo latens sapientia præstat omni ambitione togatorum patrum; imò qvamvis vera sint, qvæ proposuit presbyter, dubia tamen cujusqve publicè proponi par esse censent, ut ex antithesi magis eruatur illustreturqve veritas.

§. 7. Excipit Pontanus Remonstrantium doctor contra hæc ἐγκλήματα (1.) erroris, etiam positâ fallibilitate hominum, nullum periculum esse vel in confessionibus, qvippe jam tum ad S. literas examinatis & probatis, vel in doctoribus, qvorum orthodoxia ecclesiæ etiam judicio satis explorata esse præsumitur, cum ad officium illud eliguntur (2.) si qvis tamen error vel errandi metus irrepat, judicium discretionis tum de confessione tum de doctorum sermonibus unicuiqve laico relinqvi integrum, locumqve & facultatem illi concedi extra publicam ecclesiæ panegyrin dubia sua privatim exponendi, & si qvid aberravit presbyter, legitimè id emendandi. (3.) Sic etiam in eos, qvos supra omnes optimis docendi ac suadendi dotibus divinitus ornatos esse compertum habemus, solere jus cathedræ ecclesiasticæ conferri; in qvâ hypothesi jam alios supereresse peritiores qvi excludantur, dici neqvit (4.) jus docendi autem, qvod qvisqve fratrum à Christo sibi concessum habet, omnium communi consensu in alios transferri, ne se alienâ auctoritate opprimi qvis qveri possit. Contra medium vero hoc, qvod in collegiali libertate qværitur, opponit (4.) non omnes aptos esse, qvi publicè doceant, qvorum adeo admissione nulla utilitas ecclesiæ accrescat, erroribus etiam & contentionibus magis involvatur veritas & ecclesia turbetur. Sed has exceptiones falsè ridet Klinckamerus, qvod (1.) illi, qvi vel confessiones publicas vel oratores ecclesiasticos probaverunt, utiqve & ipsi fuerint homines, nulloqve præ aliis privilegio muniti, qvo minùs & ipsorum judicia denuo censuræ cujuslibet fratris subjiciantur (2.) judicii taciti permissione adeo gratia nulla fiat auditoribus, ut nec severissimus tyrannus illud prohibere possit, amens sit qvi velit: neqve etiam privatâ contradictione publicum scandalum tolli possit. (3.) Ecclesia non debeat sibi doctores pro aurium pruritu constituere, juxta 2. *Tim.* 4. *v.* 3. (4.) Officium suum non liceat cuiqvam à se in alium

trans-

transferre, nec multitudinis consensu vinci possit jus singulorum. Nam ut pecunias nostras alienæ administrationi non credimus, ita nec fidem & religionem credere oportere, censet appendix anonymma ad Langedultiū (5.) aptitudo cujusqve non pendeat ab aliorum judiciis hoc prætextu veritatis præcones anferentium: siqvis tamen vel falsa vel inepta proferat, rectiùs in publico meliorum certamine corrigi possit, qvàm si illa presserit.

§. 8. Neqve tamen exceptiones Pontani ita absurdæ sunt, ut videntur huic collegiorum patrono. Certè enim, qvod jam disp. 2. §. 4. monuimus, non oportet ecclesiam Christianam sibi talem fingere, qvæ perpetuis dubiorum fluctibus agitetur, sine πληροφορίᾳ fidei qvoqve versum impulsa, ut nova doctrinæ aura spiraverit, versutiæ hominum variis erroribus nobis imponentium succumbens. *Eph. 4. v. 14.* sed eam potius suæ sententiæ certam, juxta *Rom. 14. v. 5.* & adversùs omnes pravas opiniones firmam immotamqve 1. Cor. v. 15. 58. qvam certitudinem hodieqve nos habere posse & debere, disp. 3. late evicimus. Non obstat igitur fallibilitas nostra certitudini, qvamvis obstet securitati, jubeatqve cautè & circumspectè in dogmatibus fidei amplectendis versari. Certitudinem moralem gignit scientia omnium circumstantiarum solicitè expensarum, divinam interna mentis convictio de perspicuitate revelationis divinæ. Formulis igitur & confessionibus publicis adhæremus, non aliorum auctoritate nixi, qvi illos ad S. Scripturam examinarunt, sed nostro ipsorum judicio idem examen instituentium. Qvicunqve se cum aliqvâ ecclesiâ conjungunt, qvousqve conjungunt, debent de illius publicâ confessione persvasi esse, usqvedum eam ipsi possunt ad regulam Scripturæ revocare. Neqve damnamus heterodoxos, qvod suis principiis conformiter doceant, & cum illis, qvibus credunt, unam sacrorum societatem colant, sed qvòd inqvirere in illa principia debito modo falsumqve à vero discernere negligant. Atq; hoc illud est judicium discretionis tacitū, qvod laicis contra Romanarū partiū doctores asserimus, ut nos a fidei, qvod ajunt, magisterio liberemus, non ad impunitatem tantùm (qvam sanè & tyranni debent concedere) sed ad jus & officium ipsorum pertinens, ne in auctoritate presbyteri docentis acqviescant, qvod volunt Bell. & alii, sed ad ipsum fontem veritatis qvi nobis supereſt, omnia ejus verba expendant. Qvòd autem, si qvem aliqvod dubium premat, id nolimus in publico proponi, omnino rationi conveniens est, ne scilicet unius hominis scrupulis sæpe levibus & futilibus tota ecclesia in consensu sacrorum turbetur. Ecqvid enim alii tenentur audi-

audire cujusq; hominis objectiones, qvæ ad se non pertinent? annon multo rectiùs id fiet privatim coram iis, qvos præ ceteris vel docere errantem, vel hæsitatione suâ confirmare veritatem optimè posse arbitramur? At, inqvit Klinckhamer, si presbyter erret vel confessio, dubium qvod pro veritate movetur publicè, omnibus potest prodesse, sicut publica propositio erroris omnibus obfuit; qvæ privatim docetur veritas, publicum scandalum tollere neqvit. Mirum est, homines qvi incertitudinem fidei causantur, & propterea communem omnium errorum syncretismum urgent, tantopere tamen veritatis jacturam æstimare, ut ecclesiam in errore aliqvo persistere pati neqveant. Præstat tamen sæpius error qvàm fluctuatio, ut in rebus præsertim adiaphoris docet Paulus *Rom. 14. v. 5. & 22.* & qvandocunq; ad praxin venitur, minùs peccat, qvi ex firmâ recti persuasione peccat, qvàm qvi ipse de causæ, qvam persequitur, justitiâ dubitat. Itaqve qvod de verâ ecclesiâ diximus, valet qvodammodo generaliter de omni, qvòd non debeat in formam aliqvam aut confessionem colligi, nisi de eâ firmiter persuasa sit: si vero persuasa est, qvî valebit apud illam argumentum viri Collegiati, *ne fortè in errore publico sine remedio hæreat ecclesia?* Qvamvis enim erranti satius sit correctorem publicè audire, tamen ad illum audiendum adduci neqvit, nisi errorem apud se præsumserit: qvæ præsumtio melioribus argumentis niti debet, qvàm illis generalibus, qvibus Collegiati omnes ecclesias irretire cupiunt, superiore disp. discussis. Ad orthodoxam certè ecclesiam, qvalem nostram esse nos supponimus, hæc objectio non pertinet, nisi si presbyter contra ipsam ecclesiæ confessionem dicatur peccare, qvo casu utiqve largimur publicè vel per eundem rectiùs edoctum vel per alium ipsi substitutum, scandalum qvod datum est amoveri vicissim debere.

§. 9. Minoris momenti sunt reliqvæ tres Klinckhameri replicationes. Incidit in censuram Apostoli, qvi docentis ἱκανότητα à suis cupiditatibus metitur, neglectâ veritate Scripturæ S. Idoneum vero eligere, qvi Timothei, qvem laudat, vestigiis insistat, adeò reprehensionem non habet, ut etiam laudem. Pecunias administrationi alienæ sæpius & rectè credi, dummodo rationes redditas bene putes, vel ex Batavis mercatoribus scire poterat anonymus, cujus id simile est: qvidni etiã sub eâdem cautelâ credatur aliis religionis & fidei publica procuratio? Officium, qvod à singulis exigitur, in alium vicarium transferre non licet, qvod autem toti ecclesiæ qvà tali incumbit, & per aliqvos (paucos vel plures) expleri potest, certis personis rectè demanda-

tur. Unde facilè damus, à constitutione presbyterorũ factâ neminem excusari, qvo minùs fratrem vel torpentem excitet, vel errantem in viam reducat: attamen qvò minùs id publicè faciat coram totâ ecclesiâ, omnino obstare constitutum regiminis docendiq; ordinem, contendimus. Neq; ille finis est publicorum ecclesiæ conventuum, ut omnium vocibus erudiamur, sed ut omnium vocibus Deum celebremus, & vel uno præeunte mysteria ejus unà meditemur. Si aptitudo nostra non pendet ab aliorum judiciis, utiqve nec pendet à nostro, qvi aliorum ineptias accuratiùs qvàm nostras observamus. Sapientia si qva aliis major est, qvàm illis qvi suffragia eligentium nacti sunt, non distinebitur venter, credo, aut rupturam minabuntur ilia, ut Elihu accidit. *Job. 32. v. 18. seq.* si eam apud se aliqvantum premant, & privatim justo loco ac tempore, qvid illâ proficere possit, experiantur. Qvanqvam enim à majoribus charismatibus major in publico utilitas expectari poterat, divina tamen providentia, sæpe vel in pœnam ingratæ multitudinis, vel cautelam mali, qvod ab abusu illorum imminebat, vel qvamvis aliam ob causam publicæ cathedræ illa subtrahens, etiam in aberrantibus eligentium studiis agnoscenda atq; veneranda est.

§. 10. Verùm enim verò ut magis pateat, qvàm improportionatum fini suo medium sit promiscua Collegiatorum licentia, vitia ejus circa hanc rem propiùs detegere, atq; ut effectûs inde longè alii & contrarii promanent, juvat ostendere. Primùm enim ex æmulatione eorum, qvi æqvali jure ad voces in publico emittendas concurrunt, maximam oriri contentionem atqve strepitum in proclivi est, si alter altero vel priùs dicere velit, vel ejus sermonem tanqvam noxium præcipiti impetu refutare, vel saltim non minor auctoritate ac sapientiæ opinione apud vulgus esse: ubi invidia & simultates sæpe alienæ in sacrum ejusmodi certamen facilè se exonerant, & ut ægrè fiat æmulo, carpendi qværitur occasio. Deinde inter tantum oratorum numerum plerosqve ineptos atqve fatuos futuros esse, maximè verisimile est, cum imperitissimus qvisqve soleat audaciâ alios antecedere, postqvam illa semel vel bis exemplo animata est, ita, ut non aliâ viâ magis pereat spes fructûs à melioris ingenii charismatibus hauriendi, qvàm ubi ineptis omnibus declamationibus aures accommodare cogimur. Deniqve si peritissimi sint, qvi pro suâ qvisq; opinione verba fecerint, & in omnes figuras religionem Dei distinxerint, qvis tandem harum disputationum exitus sperari poterit? qvæ informatio hauriri, cum sophisticationibus alter alterum obtundens victoriæ potiùs qvàm veritatis gloriam captat? Qvotusqvisqve assidentium capiet has tricas?

tricas? qvis non potiùs animo confundetur, ut semper incertior redeat, qvàm accesserat? Ita verò omnes vel ad ultimum nihil credent, vel variis monstrosisqve erroribus impliciti pro cujusqve captu vel dicentis admiratione hærebunt. Plures ibi λογομαχίαι, plures qvæstiones curiosæ, horridæ, movebuntur, perinde ut inter scholasticos accidit, qvas ignorasse melius fuerit, qvàm decidisse. Unde nihil minùs qvàm qvod censent collegiati, *veritatem & pacem* obtinebimus, sed omnia potius infinitis erroribus & dissidiis confundentur.

§. 11. Respondet ad ejusmodi objectiones primùm generaliter, Klinckhamerus *pag. 78. & 145.* occasiones mali varias esse & inevitabiles, neqve ad illas cavendas contrario errore nos peccare, aut bonum, qvod officii ratio jubet, omittere debere. Exemplo Christi & Apostolorũ nos doceri, qvòd nihil formidandi sint orientes tumultûs, qvò minùs publicè errores corrigantur, præstare nihilominùs omni illo damno ingentem fructum qvem libera hæc prædicatio Evangelii in synagogis nacta est, ut eâdem spe nos etiam omnia ejusmodi incommoda compensemus. Veruntamen & experientiam instituti se docuisse, addit, qvòd ordo decens facilè servari in ejusmodi collegiis possit, neqve turbarum talium periculum sit. Sed hac responsione optimum antidotum suppeditat contra criminationes suas, qvibus communem omnium ecclesiarrum morem impetit. Qvia enim occasiones omnes mali evitari neqveunt, illam etiam vel presbyterorum tyrannidem, qvi auctoritate suâ ad errores in ecclesiam invehendos abutuntur, vel populi spontaneam servitutem, ipsis sine justo verborum examine adhærentis, qvam ex confessionibus ecclesiæ & privilegio cathedræ oriri censet, eâdem ratione excuset necesse est, neqve propterea bonum & salutarem ordinem tolli velit, qvòd ejus abusus omnis evitari neqveat. Compenset & hîc cum infinitis ex concordiâ fidei, ex errantiũ à fidelibus separatione, ex optimorum ad pascendum gregem electione promanantibus commodis, abusûs illos & incommoda, qvæ ab alterâ parte arguit, & qvòd nulla moris nostri immutandi nobis causa sit, agnoscet. Qvo jure experientiam suorum collegiorum contra argumentationes adversas adducere potest, eodem jure & nostram nos contra ipsius argumenta urgere possumus, qvòd hactenus apud nos ejusmodi dominatus fidei alienæ nondum extiterit ex presbyterorum jure, qvalem ipse inde inseparabilem esse censet.

§. 12. Deinde ut ad rem deveniamus, si collegiorum detrimenta

illa, qvæ objecimus, hactenus experti non sunt viri, qvod suo loco relictū sit, inde id accidit procul dubio, qvòd pauci hactenus illorum cultores sint, omnes earundem fere sententiarum sectatores Anabaptistæ, & qvi partim auctores novi instituti solicitè cavent, ne qvibus turbis ejus fides in ipsis initiis collabascat, partim cœci mutiqve horum antesignanorum sectatores, qvi illorum audiendorum causâ tantùm conveniunt. Qvid vero futurum sit, si ex omnibus tandem sectis & opinionibus ejusmodi conventus adornetur, si juxta propositionem anonymi in appendice Langedultianâ jam qvotidie corrigenda liturgia nemini placeat, si omnibus dissidens principiis multitudo qvæqve oratoris verba sexcenties carpat vel defendat, si contra correctorem semper novus alius corrector insurgat, id sanè experti nondum sunt, facili autem prudentiâ poterant prævidere. Eqvidem verum est, non omnes occasiones mali eripi hominibus posse, & optimam qvamqve rempublicam, ut ajunt politici, aliqvid iniqvi ferre debere; sed hîc de illis qværitur vitiis, qvæ removere volunt Collegiati, & de eo qvod substituere cupiunt illi, qvem dicunt, magisterio fidei alienæ, ab omnium scilicet ecclesiarum formâ ac more promanante; an in Collegiali licentiâ feliciùs evitentur errores & odia mutua? aut melior effectus inde sperari debeat? Ubi sanè inepta est reformatio, qvæ nihil emendat, vel in deterius omnia commutat. Gravius sanè vitium est in domesticâ discordiâ, qvam extraneâ: præstat totas ecclesias inter se sententiis dissidere & domi pacatas esse, qvàm ut ejusdem ecclesiæ membra inter se infinitis sententiarum divortiis contendant. Ubi ὁμόψυχοι preces & communes DEI laudes locum invenient, cum omne tempus certando teritur? Si presbyteri publicè probati auctoritate suâ abutuntur, annon abusuri sunt, qvi suopte judicio exurgunt oratores? Cum verò utrinq; abusûs metus est, faciliùs tamen corrigitur peccatum paucorum, qvàm omnium. Non omnis qvidem malorum tumultus cum fructu, qvem præstant qvi veram salutis viam ostendunt, comparandus est. Attamen errorem leviorem satius est non tangere, qvàm cum periculo majoris scandali ejus emendationem tentare.

§. 13. Respondet deinceps etiam specialiter idem disputator ad *argumentum* nobis *primum*, qvòd dicentibus etiam regulæ præscribi possint, qvæ immodestiam & turbas procul esse jubeant. Sed hîc qvidem vereor, non majore successu regulas modestiæ inveniri, qvàm liturgiæ, si omnium ingeniorum fiat colluvies. Neqve enim poni ullæ possunt, nisi

qvæ

qvæ collegiatis qværitur libertas rursus limitetur, & tacendi necessitas varia dicentibus vel dicturis imponatur, qvam sola, qvæ nunc ad collegialem libertatem clamat, ratio præsentis ex errore periculi omnem statim eludet, aut ab ejusmodi conditionibus suspendet, unde qvi modestiæ fines sint, difficillimè judicetur. Et qvamvis optimas invenerint Collegiati, in tantâ tamen omnium licentiâ qvæ spes erit illarum servandarum? Qvi enim de veritate thesium suarum judices cum imperio nullos patiuntur, an de modestiæ legibus servatis patientur? an & defendendi qvem facti sui argumenta destituent, materiæ dignitatem, dilationis periculū, causæ meritum, ut scapha scapha appelletur, causantem? Corinthiacæ ecclesiæ procul dubio bonæ leges ab Apostolo latæ erant, totos octodecim menses ibi qvondā hærente, *Act. 18. v. 11.* Sed, paucorum licet, contendentium æmulatio in charismatum ostentatione mox omnes illas perruperat: neq; correctio Apostoli, aut nova rerum restitutio, qvæ juxta promissum ejus *Cap. 11. v. 34.* ibi facta est, impedivit, qvo minùs licentia mox post obitum ejus in seditionem & schisma vergeret, qvam Clemens Romanus epistolâ illuc scriptâ correcturus, presbyterii constitutionem proprium horum tumultuum remedium ab Apostolis datum esse censuit.

§. 14. Ad *secundum argumentum* videtur respondere qvod aliàs circa mores dicit; nempe qvo major in tali collegio est carpendi licentia, eo majore cautione fore ut sibi qvisqve opus esse arbitretur, neqvid temere & sine justo argumentorum pondere proferat. Etenim hæc ratio qvid posset ad plures, qvi modestè de se sentire didicerunt, ab involando docendi officio arcendos, non idiotas tantùm sed & doctos ac pios. Imò cohiberet facilè voces necessarias illorum, qvi rem rectiùs intelligunt qvàm qvi loqvuntur, atq; ne crassos errores detegerent, solo litigandi tædio & impudentissimè oggannientium metu absterrerentur. At non omnes ita timidi sunt: non omnes tantum pollent judicio, ut se suo modulo metiantur & qvantæ absurditatis ruditatisqve dedecus aliis prodant, ipsi animadvertant. Videris homines, qvi etiam cum publicè irridentur, sibi applausûs fieri putant, & postqvam miserè vapularunt, qvasi cum triumpho ex arenâ decedunt. Qvales si jam plures ineptis utrinqve studiis certare cœperint, qvantū fastidii prudentiori auditorio, qvàm nihil utilitatis omnibus allaturi sint, planè omnes intelligimus. Hujus incommodi metum solâ spe melioris in aliis oratoribus prudentiæ spernere cum Klinckhamero, non est nisi sibi blandiri, cum non tantùm ineptorū & errantium maxima semper multitudo

sit, sed & nemo prudens id admiserit, cujus eventus utrinqve parit incertus est.

§. 15. Tandem *ad tertium* etiam respondet idem disputator, stuporem hominũ præcipuè deberi libertatis subversioni, qvâ qvisq; curam religionis in presbyteros devolvit, ita ut nec ejus fundamenta addiscat; in mutuis verò disputationibus rudia illa ingenia magis acui posse, ad meliorem rerum intellectum, ne tam facilè cujusq; verbi scandalo commoveantur. Bene sanè, si omnis hominum stupor ab inertiâ est & sponte contractus: at qvanta pars illorum est, qvos ipsa natura haud sivit esse acutiores, qvibus nec Spiritûs S. illuminatio nisi secundùm gradûs capacitatis passivæ dari solet: qvos ipsa vivendi conditio, in qvam conjecti sunt, ab accuratioribus meditationibus avertit, ne tam promtè capiant argumentorum qvorumqve vim, qvàm qvi *in* scholis enutriti sunt? Pro variis cujusqve profectibus viribusqve intelligendi, lactis & solidioris cibi propositionem in Evangelicâ prædicatione distinxerunt Apostoli, *1. Cor. 3. v. 2. Heb. 5. v. 12.* & tum hoc tum alio affectuum & tentationis respectu rectè secarè verbum & cuiqve qvod ipsi aptum est proponere jusserunt, *2. Tim. 2. v. 15.* id qvod etiam ecclesiarum presbyteri sibi curandum esse norunt. Sed in vagâ hac Collegiatorum licentiâ docendi, cum qvisqve ut animo affectus est loqvitur, qvam multos ad securitatem carnalem, ad desperationem alios, alios ad scepticismum, ad hæresin duci necesse est, avidè audientes ea speciosè proponi, qvò animus jam tum pendebat, negligenter autem, ut fit, attendentes ad ea, qvæ inde revocare poterant. Qvâ de re rectè dixeris, qvod Augustinus qvondam ad Honoratum *de util. cred. c. ult. sæpe auditores excitant ad qværendum, sed ea docent excitatos, ut vel dormire semper satius sit, qvàm illo modo vigilare; de lethargicis enim phreneticos faciunt.* Atqve ut vulgus causam ab amore illius metitur, qvi eam perorat, & voluntatis impetus communi hominum vitio intellectum antevertit, factiones fieri necesse est in qvamqve partem, prout qvi pro eâ dixerit, vel beneficiis vel familiaritate vel etiam voce placet. Sic tandem constat, qvod diximus, collegiatismum pro amore odia, pro veritate errores seminare.

§. 16. Finis ille, qvem Qvakeri sibi in dicendi libertate qværunt, & omnis qvæ illi subjicitur hypothesis, de interno spiritûs impulsu, sive lumine ad salutem nobis accenso, dudũ à nostris ecclesiis rejectus & explosus est, ut de reformationis nostræ necessitate in hoc capite, aut liberæ lingvæ

ad

ad hunc finem utilitate superflua sit disputatio. Nullam nobis post Apostolicæ ecclesiæ ætatem immediatæ à DEO revelationis spem aut promissionem factam esse in S. literis, superiore disputatione latè contra Collegiatos demonstravimus; unde nec vanâ spe sine causâ nos lactare oportet, sed illi potius inhærere salutis viæ, qvæ per alios, qvi Christum audiverant, & Spiritûs S. charismatibus pollebant, ad nos derivata est, juxta *Hebr. 2. v. 3. seq.* Non adsunt in enthusiasmo Qvakeriano illa virtutis divinæ signa atq; documenta, qvæ in veteribus qvondam Spiritûs S. revelationibus observata sunt, non miracula, non futurorum prædictio, qvæ eventus confirmaverit, non subita supra artis institutionem se exerens sapientia, qvibus prisci se prophetæ probabant hominibus: enormes autem gesticulationes & raptûs furibundos, qvibus prima illorum initia famosa sunt, negare vel tegere hodie & à se removere malunt, qvasi vel ab hostibus perperam fictos, vel ab aliis qvàm qvos pro suis agnoscunt, admissos. Neqve illa revelatio nova vel prophetica est, qvæ omnibus hominibus communis est: solis prophetis visiones promittuntur *Num. 12. v. 6.* non fuisse autem omnes prophetas, qvi fideles erant qvondam, tum ex hoc loco tum ex infinitis aliis patet. conf. *1. Cor. 12. v. 19. 1. Reg. 22. v. 7. seq.* Paulus id sibi tanqvam peculiarem prærogativam vindicat, qvòd doctrinam fidei non ab hominibus acceperit, sed à revelatione Jesu Christi, *Gal. 1. v. 12.* qvin & generaliter Spiritũ S. & omne ejus charisma nonnisi *ex auditu fidei* haberi dicit *c. 3. v. 2.* Itaq; ad illuminationem universalem, qvam qvisqve à teneris vel ipsâ nativitate habet, hæc monita ejus de prohetiâ non spernendâ & spiritu non extinguendo, deqve revelatione assidentis audiendâ non pertinent. Dicatur illud naturale lumen, qvod nobis de existentiâ DEI & honestate morum superest (qvod unicè innuunt Qvackeri) *illuminatio* Christi *Joh. 1. v. 9.* sive à *Christo*, tanqvam Deo *facta* (qvamvis nobis, qvod ipsi omnibus viribus propugnant, non sit verisimile) non est tamen illa illuminatio ad salutẽ satis, nec cum illuminatione spiritûs, qvæ fidelibus propria est, nedum cum propheticâ revelatione confundenda. Lumen illud innatum nihil revelat, nisi qvod omnibus etiam à spe salutis alienis constat, nec qvanqvam variè premitur protervia hominum, ita penitus extingvi potest, qvin subinde mentem interpellet, cum attendimus autem, variarum conclusionũ philosophiam suppeditat; sed illa non est qvam qværit ecclesia Christianorum, qvæ alio meliore lumine, qvod per Scripturam S. aut vocem Evangelii accenditur, doceri atq; exerceri cupit ab *iis*, qvi in ejus meditatione exercitatiores esse publicè æstimantur.

§. 17. Sed

§. 17. Sed illa tamen Qvakericæ licentiæ ad fœminas etiam publicè audiendas disputatio, causam nobis suppeditat arguendorum collegiatorum, qvòd improportionatum suis principiis institutum seqvantur, & medium ad finem, qvem volunt, insufficiens elegerint. Nam si ita rara & incerta ecclesiæ veritas est, ut in qvovis oratore presbytero sit errandi maximum periculum, & semper alter alterum publicè emendare debet, ne vel error sine contradictione imbibatur, vel qvi magis poterat populum sermonibus erudire aut ad pietatem excitare, talentum qvod nactus est, tacitus apud se sepeliri patiatur: utiq; etiam fieri potest, ut mulier veritatem rectiùs norit, qvàm omnes qvi adsunt aut dicere amant mares, vel melioribus polleat ingenii & facundiæ dotibus, ut ad commodum ecclesiæ meliùs qvàm qvivis ex maribus verba faciat. Qvo jure autem laici mares contra presbyteros rem minùs vel intelligentes vel proponentes insurgunt, eodem etiam fœminas contra mares insurgere necesse est. Ecqvo enim privilegio omnes illi etiam junctim sumti mares ab errore sunt immunes, in hypothesi collegiatorum, aut minùs nocet error à laicis propositus qvàm à clericis, ne correctionem mereatur? Annon & fœminis data est gratia ut veritatem cognoscant, eamq; norint proponere? Certè & eruditionis & facundiæ muliebris plura extant exempla, qvàm ut dubitare eâ de re liceat; neq; à nostro marium judicio ipsorum ἱκανότης magis debet dependere, qvàm suam ab aliis suspensam esse cupiunt Collegiati, qvi qvemq; oratorem solâ sui fiduciâ niti posse docent. Ne autem interdictum Apostolicum causentur 1. Cor. 14. v. 34. facilè suos sibi possunt respondendi modos resumere, qvòd id aureis illis ecclesiæ temporibus dictum sit, qvibus plena divinorum charismatum erant omnia, qvibus mares etiamnum rectè docere & gubernare ecclesiam sciebant, qvo ipso non juventur qvi nunc sunt pauperes, nudi & omni certitudine spirituali vacui, qvò minùs & fœminas meliora monentes rectissimè in cathedram admittant. Restat igitur si fœminas perperam se excludere Qvakeris nolint concedere, ut boni ordinis causâ silentium in publico etiam peritioribus indici, & si qvis in oratore error observetur, aliis mediis eum corrigi posse, & qvemadmodum ob errorem marium corrigendum fœminas publicè audire nolunt, ita nec laicis ob errorem à presbyteris fortè admissum promiscuam dicendi licentiam necessariam esse fateantur.

§. 18. De fine, qvem nostrates per collegia pietatis qværunt, nullum dubium esse potest, qvin sit optimus elegantissimusqve, omnium votis atqve

atqve desideriis meritò expetitus. Neqve enim est qvi ausit profiteri, qvòd nolit fideles moribus emendari, seqve mutuò ad id excitare: neqve qvisqvam in manifestâ hac seculi labe & qvotidianis licentiæ pravæ exemplis dubitare potest, an & emendatione qvâdam hominum indigeamus. Pro singulis qvidem vel personis vel factis, qvæ ab aliis carpuntur, apologiæ scribi possunt, potest & prava vehementioris fortè censoris reprehensio notari, qvemadmodum & ipse hujus collegialis methodi in nostrâ eccleſiâ prudentissimus auctor, de abusu qverelarum, qvæ de corrupto ecclesiæ statu instituuntur, peculiari libello qvestus est: ipsam tamen conditionem ecclesiæ non nisi perditè malus ita laudare potest, ut omne meliorum desiderium reprehendat.

§. 19. Id fortè qvis in dubium vocaverit, an novis ad illam emendationem obtinendam inveniendis mediis opus sit, nec satis sit illa strenuè urgere, qvæ in ecclesiâ nostrâ, hactenus nota & recepta sunt. Videtur enim receptam formam sacrorum, catechisationes, lectiones, conciones, qvibus verbum Dei apud nos hactenus prædicari svevit, spernere, qvin & perpetuam efficaciam verbi divini in dubium vocare, tandem ecclesiam, nisi fortè & Christum & Apostolos, neglecti officii accusare, qvi nunc demum post multa Christianismi secula novos docendi modos excogitat, qvibus neqvicqvam hactenus qvæsita felicitas obtineatur. Qvin & ausus est qvidam hujus novæ methodi commendationem ita explicare, qvasi nulla ad cognitionem Dei salutarem & pietatis augmenta utilitas in aliis mediis agnoscatur, cum qværit, *unde ergo alii & ipse methodi commendator ita profecerint, anteqvam de illâ cogitatum sit?* Sed illa disputatio facilè evanescit, si naturam adiaphororum & gradûs utilitatis rectè distinxeris. Idem qvidem finis diversis mediis obtineri potest, at non æqvè feliciter omnibus: nec ad finem obtinendum necessarium statim creditur, qvod ut utile laudatur. Non accusant majores, qvi nova systemata, compendia, synopses disciplinarum, aut qvâvis methodo scriptos novos libros edunt, qvamvis sibi sæpius videantur scriptores id præstitisse, qvod ante se non præstiterunt alii: nec dedecori nobis est, si posteritas transmissam ad se rem publicam melioribus aliis legibus augeat. Qvare igitur putaremus ecclesiæ canones sæpe qvondam auctos & immutatos augeri, vel modos proponendi immutari non posse sine injuriâ majorum? Dies diem docet & ætas ætatem. Temporum etiam, locorum, hominum variæ sunt circumstantiæ, ne idem labor semper & ubiq; pari successu gaudeat. Neqve omnia qvæ Apostolicis temporibus apta fuerunt, in nostra tempora con-

veniunt, nec qvæcunqve noſtris apta ſunt, illis erant. Et qvemadmodum multa, qvæ tunc obtinuerunt fortè, hodie ignorantur, ita nunc obtinere plurima, qvæ ibi non inveniuntur, palam eſt: qvo nomine tamen ritûs & mores noſtros nemo carpere auſit, aut qvòd inſtitui non debuerint, aſſerere. Multum potuit extraordinaria vis Spiritûs S. in Apoſtolis & illorum adjutoribus, multum poſtea imminens gravis hoſtium impetus ad excitandam fidelium diligentiam, ut ad animum revocarent verba ſacri oratoris, & pietatis ſumerent incrementum, multum etiam in reformatione eccleſiæ primus fervor, cũ redux fidelibus fieret ſacer codex, ejusq; intermiſſa diu explicatio paſſim audiretur, utabundantiùs ſe exereret virtus verbi divini, qvàm nunc pacatis temporibus, laxatâ diſciplinâ, & (ut fit) diuturnitate temporis zelo remittente. Ut adeo ita abſurdum non ſit nova remedia circumſpicere, qvibus non abrogentur conciones presbyterorum, ſed priſtinus ex illis fructus reducatur.

§. 20. Si verò ſine novis remediis unicè reqvirimus, ut receptis diligentiùs inſiſtamus, oportet in hac morum corruptione neglectionem officii in docente arguere. At conſtat tamen concionum ſacrarum nullam apud nos intermiſſionem eſſe, freqventiam multo maximam per omnia templa, & ſtatis hebdomadis diebus, & in omnibus ſolennitatibus, nuptialibus, funebribus, baptiſmalibus perpetuò recurrentium, codicis etiam biblici, & libellorum ad preces publicas privatasqve, ad hymnos, ad meditationes ſacras compoſitorum abundantiſſimus apparatus paſſim conſpicitur, ut in populo his mediis docendo nulla major diligentia deſiderari poſſit. Qvia autem hoc omni labore noſtro parum proficicimus ad eum, qvem eccleſiæ cupimus, ſanctitatis fideiq; gradum per omnia ejus membra diffundendum, non id tantùm, qvod in proclivi eſt, dicere ſufficit, culpam ejus rei eſſe penes illos, qvi mediis his perperam utuntur, vel parum ad illa attendunt, ſed & meritò qværitur, annon qvid amplius fieri à nobis poſſit, qvo major in populo attentio obtineatur, & animorum pellatur ſecuritas? Atqve ut cauſam morbi noſſe multum ad medelam intereſt, ita etiam pii & prudentes viri in illâ per libros & conciones familiari nobis inſtitutione invenerunt aliqvos defectûs, qvi attentioni & percipiendo juſto ejus fructui obſint, qvosq; propterea corrigere optant, nempe (1) qvòd conciones, qvæ ſecundùm eloqventiæ leges continuo oratoris flumine labuntur, obtundant audientiam memoriam, & tardiora præcipuè ingenia, ne ſenſum aſſeqvi poſſint, ita ut cũ ruminare volunt qvæ dicuntur, interim tantundem excidat

eorum

eorum qvæ seqvuntur, & rerum nexus planè pereat (2.) qvòd in illis orationibus sacris plura pro cognitis assumanrur, qvæ pleriqve auditores nondum didiceruut, & in articulis fidei & in historiis biblicis magnam partem ita hospites, ut dolere barbariem inter tot catechisationes & bibliorum editiones non satis possimus, ad qvorum tamen captum orationem demittere, & in ipsis semper principiis explicandis hærere, oratori difficillimum, aliis tædiosum foret (3.) qvòd qværendi de iis, qvæ minùs intelligunt, vel dubiam mentem trahunt, desit promta occasio. Planè dantur qvidam tam felicis memoriæ, ut totas orationes presbyteri recitare, & qvæ diversis audiverunt temporibus ita componere norunt, ut qvamvis nec literarum elementa docti sint, omnia tamen mysteria fidei, illorum dicta probantia & historiarum sacrarum apparatum inde addiscant, perinde ac si ex ipso codice sacro aut scriptis catechismis illa hausissent: sed illi pauci sunt inter plures rudes & ingenio tardos, qvi nec summum argumentum orationis rectè percipiunt, & propter has, qvas enumeravimus, causas impediuntur, qvò minùs percipiant.

§. 21. Solet vulgò ad has qverelas reponi: *ad Primam*, qvòd etiamsi non omnia retinere memoriâ possint auditores, vel inter audiendum tamen excitentur piis meditationibus, & vel unum & alterum apophthegma, etiamsi obiter orationi insertum, qvod ad fidem vel mores pertineat, inde domum auferant. *Ad Secundam*, qvòd in eam rem scholæ institutæ sint & catechisationes publicæ, imò & catecheticæ conciones, ut fundamenta fidei inde hauriantur, Bibliorum variæ editiones prodeant, ut privata illorum lectio omnibus pateat, si qvis verò velit datâ operâ insçius esse, non ea tamen presbyterorum vel legum ecclesiasticarum culpa sit. *Ad tertiam*, qvòd omnino privatim qvisqve debeat presbyteros, eum præsertim, qvi sibi à confessionibus est, compellare, & si qva habet dubia, ibi proponere: cujus rei ipsæ confessiones privatæ promtissimæ occasiones sint. Sed hæc omnia qvamvis satis rectè dicantur, nondum tamen exhauriunt omne votum illorum, qvi de illis defectibus qveruntur. Neq; enim (1) abruptas tantùm sententias, sed plenam mysteriorum divinorum suiqve officii cognitionem ab omnibus imbibi cupiunt, meditationesqve rerum haud satis perceptarum sub ipsâ presbyteri oratione obortas, & cum illâ pereuntes, nimis confusas esse rentur, qvàm ut in illo fructu sacrarum concionem acqviescamus, (2) cum scholarum educatio non tam pendeat ab illis qvi educari debebant,

qvàm à parentibus aut præceptoribus, qvi officium rectæ educationis non præstant, saltim illud teneræ ætatis remedium sit, qvod ad adultos applicari neqvit, catechisationes publicæ etiam pro ætate provectiore, in majoribus urbibus præcipuè, raræ sint, qvibus se subjicere multis puerile atqve humile videtur, conciones autem catecheticæ eodem qvo omnes aliæ vitio laborent, nondum in his omnibus remedium mali sufficiens inveniunt. (3) à privatis presbyterorum compellationibus multa esse qvæ abstrahunt, negari neqvit. Alios timiditas retrahit, ne qvid insolitum admittant, ne viri negotiis aliis obsint, ne hypocritæ videantur, qvi sanctitatis aut attentionis nomine velint commendari, vel sophistæ, qvi tentare objectionibus etiam presbyterum ausint, tandem ne suam prodant inscitiam, cum qvisq; malit peritior in rebus divinis videri qvàm esse. Alios securitas animi impedit, qvi sibi suâ ruditate satis placent, neqve operæ pretium existimant, ut propterea vel sibi vel presbytero negotium facessant, qvòd clericorum sit illa omnia curatiùs volvere, à laicis vero occupationibus alienum. Fortè & alios absterret parochi sive morositas sive inertia, si frigidè qværentibus respondeat, & parum de profectibus auditorum solicitus, qvomodocunq; illos, si qvid fortè qværunt, dimittat, ut nempe vel proximè pro concione se rem pleniùs explicaturũ esse promittat, vel à scrupulosâ subtilitate qværentes dehortetur, jubeatq; planis & simplicibus catechismi verbis adhærere; cujusmodi prophases utinam ne aliqvibus nimis familiares essent! Certè enim & ipse ille docendi modus publicus, qvo solus sine interpellatione verba facit presbyter, nonnullis causa est securæ inscitiæ, ut populum velint in verbis suis acqviescere, qvicqvid etiam protulerint, neqve adeò eam in auditoribus solertiam desiderent, qvæ doctoris Theologiam ad examen revocet. Hinc etiam si ipsæ forsan homiliæ publicæ ejusmodi parochorum parum salis habuerint, facilè sibi persuadebunt auditores, se nec privatis colloqviis eruditiores fore.

§. 22. Dixeris fortè cum non nemine censore, causam morbi nostri his qverelis non satis detegi, qvibus non nisi qvæ ad scientiam augendam pertinent, desiderantur, qvi tamen non sit finis eorum, qvi collegia pietatis commendant; alia esse vitia moris nostri, qvæ ecclesiæ legibus corrigenda sint, si voluntatem flectere cupimus, hominesqve ad veram pietatem, ejusqve mutuam excitationem ducere, scilicet laxiorem disciplinam ecclesiæ, rarissimum usum clavis ligantis, infreqventiam concionum legalium & funebrium parentationum assentationes, qvibus

qvis-

qvisqve mortuus beatus prædicatur &c. Ita sanè est, ad intellectum hominum rectiùs instruendum consilia vertunt, qvi in concionibus sacris illa, qvæ diximus, desiderant, neqve aliò vertere poterunt, qvàm unde tanqvam à primo agendi principio omnes actiones nostræ fluere debent. Voluntas cogi non potest, flecti potest: flectitur autem optimè, cum veritatis convictione flectitur, Spiritu S. scilicet per verbum operoso, ut perceptionem intellectûs motus voluntatis seqvatur. Omnis enim alius motus voluntatis, qvàm qvi ab intellectu & actionis susceptæ agnitâ bonitate proficiscitur, deordinatus est & vitiosus. Metus legalis, qvi à clave ligante & disciplinâ ecclesiasticâ incutitur, pædagogus qvidem aliqvis est ad rectiorem attentionem mentis, ut qvæ verbum DEI docet animadvertat; sed sibi soli relictus, non nisi hypocritas vel osores DEI facit. Parum est ab externis delictis homines arceri; id verò sine verâ Theologiâ etiam reipublicæ leges possunt. Qvæ minis pœnarum & iræ divinæ ab homine extorqventur opera, non sunt illi fructûs spiritûs, qvi à credentibus expectantur, sed qvæ amore DEI, spontaneo motu, etiam sine præmii intuitu exeqvimur ad vitam purè sancteqve degendam, *vid. Form. Concord. art. 6. p. 596. & 721. seq.* Præterea coactiones disciplinæ ecclesiasticæ ab illis pendent, qvi cum imperio sunt, variasq; ob causas hodie non ita reduci possunt, ut qvondam receptæ erant; de qvibus exasperandis inanis esset privatorum deliberatio: ille vero clavis ligantis, & concionũ legalium usus, qvi à Theologis vel ecclesiarum presbyteris expectari potest, ad intellectûs informationem potissimùm reducitur. A cognitione voluntatis divinæ & nuditatis nostræ pendet omnis melioris vitæ cura, est q; illa pleris q; securitatis & pereundi causa, qvòd veram officii sui rationem vel non didicerint, vel non considerent. Omnia peccata variis causationibus colorantur, qvæ ipsæ causationes ut intellectum corrumpunt, ita eidem meliore informatione eripiendæ sunt. Etiam parentationum mendacia inter seculi vitia ponimus, iisdem qvibus alia mediis corrigenda; sed & de mortuis, nisi in flagrante crimine & manifestâ incredulitate occumbentibus ut in meliorem partem præsumamus, à præsumtione verò gratiæ ad vitiorum imitationem ne progrediamur, docendi sumus. Constat igitur, rectè in solâ docendi fidelitate atqve methodo præcipuam spem corrigendi mores seculi (si qva ulla supereſt) debere esse repositam; in qvâ illam repositam habent, qvi concionum sacrorum defectûs annotant, illosqve privatis collegiis cupiunt emendare.

§. 23. An verò collegiorum institutio ad defectuum illorum expletionem commodum planumqve remedium afferat, facilis explicatio videtur. Primùm enim in colloqvio amico & datâ cuiqve fandi licentiâ continuæ orationis flumen feliciter videtur abrumpi, ut interciſa & diſtincta collocutoribus oratio & faciliùs animis audientium illabatur, & occaſione repetendæ ejusdem rei usqve dum penitus percepta ſit evidenter datâ, firmiùs hæreat. Deinde cum in mutuis colloqviis uniuscujusqve profectûs optimè explorentur, etiam attemperare ad illos ſermonem, & ut cuiqve aptus eſt, vel in elementis primis vel in concluſionibus ſubtilioribus occupare poteſt collocutor, argumento etiam dicendi, qvod vel deſiderium vel indigentia auditoris hac occaſione ſe prodens, ſuppeditaverit, commodè electo. Tandem qværendi de ignotis & dubiis nulla apparet evidentior occaſio, qvàm ubi omnibus fari, ſymbolamqve adjicere licet, exemplisqve aliorum incitantur alii, ut poſitâ timiditate ſeqvi auſint. Nam & presbyteri vel cujusqve alterius docentis humanitatem experientur, & alienæ inſcitiæ ſolatio erecti, ut ſuam ne prodere erubeſcant ſic meliùs aſſuefient, & qvam ſalutis cura non extorſiſſet qværendi diligentiam, curioſitas fortè in ſimili aliorum exemplo extorqvebit. Moroſitatem, ſi qva eſt, ipſa expellet inſtituti ratio, qvòd eâ de causâ conveniatur, ut fiat, qvod alioqvin à ſe removeret fortè presbyter, & inertiam aliorum diligentia confundet, ut qvi ſua intereſſe putat, honorem tueri officii, etiam ad ſtudia & meditationes freqventiores animum applicet. Qvin & ut ſingulorum compellationibus vacare non poſſet presbyter, ſi plures ſint, qvi cum ipſo conferre privatim velint, ita hoc inſtitutum multâ omnes operâ levaret, ſi (ut fit) plures idem dubium angeret, qvibus omnibus ſatisfiat, cum uni reſpondetur.

§. 24. Jam verò hac defectuum illorum correctione ſe obtinere poſſe illos, qvos intendunt fines, perſuaſi ſunt laudati Theologi, & *emendationem morum* qvidem inde ſperant vel ſperare poſſunt, qvòd (1.) perſpicuitate docendi tali, qvæ uno tenore orationis aures non fatigat, magis moveantur animi ad officium in Chriſtianiſmo ſuum rectè conſiderandum, & ſicut multos ignorantia veræ virtutis perdit, ne ejus ſtudioſi ſint, ſed falsâ ſibi ſpecie blandiantur, ita plures juſta veritatis convictio ad majus ejus deſiderium ſtudiumqve vehementius corrigendi ſui accendat. (2.) exempla eorum, qvi bene proficiunt, in communi ejusmodi exercitio intueri, admodum proſit ad ſanctam æmulationem in reliqvis excitandam, ut nolint poſtremi eſſe, cum qvantum ſibi deſit ad veram Chriſtianiſmi laudem, & qvò

con-

contingere possint, sic faciliùs animadvertant (3) qvòd inter reciprocas qvæstiones ac responsiones familiarior dogmatum moralium ad hypotheses & varios peccandi modos facta applicatio, varias peccantibus excusationes, qvas objicere aliàs rectiora monenti solent, instar occultæ sub vestibus loricæ, in lucem protrahat ac elidat, ut sic magis rubore confundantur, qvos actionum suorum conscientia notat, qvàm in sueto nobis vel generali vitiorum vel specialissimo enormis alicujus criminis elencho, qvem præter eum, qvi immediatè tangîtur, nemo ad se pertinere credit.

§. 25. *Manuductio fidelium ad mutuam* sibi *operam* præstandam in cognitione Dei & morum sanctitate promovendâ, qvemadmodum vult Apostolus *Eph. 4. v. 16.* per talia collegiorum exercitia procurari posse speratur, qvòd (1.) hæc qværendi, dubia proponendi, objicendi initia qvemqve invitent, ad exegesin etiam locorum biblicorum aut corollariorum inde moralium deductionem secundùm sui intellectûs mensuram in iisdem collegiis tentandam, atqve inde porrò ad privatos cum vicinis de eâdem re etiam extra collegia sermones renovandos, dum jam magis qvisqve rem ad se pertinere credit, cum liberiùs de eâ in publico seu fratrum solenni confessu verba facere conatur. (2.) ipsa hæc initia familiarem plurimis desperationem, qvâ se ad alios docendum credunt ineptos esse, paulatim tollat, dum discunt homines suas vires explorare, & ea se posse experiuntur, qvæ non putarunt; Ubi igitur ut primùm conatui successus aliqvis respondet, animus additur studium illud porrò promovendi (3.) ex colloqviis ejusmodi sæpe oriatur pia familiaritas & animorum firmior in Christo conjunctio, ne dubitet alter alteri, cujus præ reliqvis prudentiam & sanctam mentem expertus est, juxta *Jac. 5. v. 16.* delicta sua privatim fateri, scrupulos animi enarrare, consilium exqvirere, preces conjungere, imò & monitorem errati sibi petere, ita ut ad vitam asceticam sibi mutuò adjumento sint (4.) tandem & animus addatur fidelibus, ut qvi se invicem docere assueti sunt, etiam corripere ausint peccantes & securos, privatisqve admonitionibus & elenchis id efficiant, qvod sola presbyteri opera publica non præstiterit. Est enim illud amoris officium, qvo posset, si qvo alio, regnum Christi maximopere augeri, nisi vel metus offensionis vel securitas salutis alienæ plerosqve inde retraheret.

§. 26. Verùm enim verò ut in rebus humanis non omnia sic certo se invicem ordine seqvuntur, qvemadmodum in naturalibus, ita nec isti effectûs ita ex his collegiis expectari debent, qvasi necessariò inde fluerent, sed

sed qvòd tàm evidentè sui occasionem in illis habeant, ut probabiliter inde sperari possint, & faciliùs qvàm aliunde fluant. Interim certum est, diligenti omnino cautione multoqve labore opus esse, ne qvid eveniat, qvo fine ejusmodi bono excidamus. Facilis est in longo sorite lapsus: sæpe aliud docet experientia, qvàm sibi promittit dives aureorum montium consultantis idea. Non ita collegiali libertati dicendi propria est orationis brevitas, & dicentium vicibus distincta rerum enarratio, qvin possit & ipsa facilè in longas ac tædiosas orationes, qvin & in vanam eloqventiæ æmulationem degenerare, ne aliud illis agatur, qvàm ut qvæ in ecclesiis audiuntur singulæ, istic binæ vel ternæ audiantur iisdem horis conciones: unde majoris perspicuitatis spes omnis evanescat. Neqve qvando ad idem collegium docti cum indoctis, ingenioſi cum stupidis conveniunt, facilè credibile est hos ab illis excitatum iri ad qvandam æmulationem; sed qvòd evenire certum est, pauci iiqve exercitatissimi concessâ sibi libertate utentur, reliqvi non nisi taciti aliorum admiratores erunt, ad qvorum promtitudinem cum se comparare non ausint, facilè & de omnibus viribus suis desperabunt. Tum & pro diverso dicentium ingenio variabit proponendi modus, ne moralis, qvæ qværitur, doctrina semper exactè satis eruatur, aut ad peccandi modos ac colores examinandos devolvatur qvamvis à pluribus tradita institutio. Sæpe etiam ineptiis & otiosis tautologiis bonas horas à subitaneis oratoribus tritum iri, non minùs vero simile videtur. In qvibus omnibus ut fontes melioris spei pro emendatione morum obstruuntur, ita & pro fidelium ad se mutuò docendos manuductione. Nam ubi æmulatio cessaverit, nec tentabuntur vires adjectâ publicè symbolâ, nec porro privatim magis, qvàm aliàs fieri solet. Sic nec tentabit vires, nisi qvi aliis videbitur modestiæ fines excedere. Familiariorem peccati confessionem inter amicos, etiam cum reliqva omnia optimè cesserint in ejusmodi collegiis, rariorem illorum fructum esse oportet, cum nemo facilè soleat, saltim nemo prudens, alii id secretum credere, qvo ipsi is, mutatus postea, nocere possit, aut calumniandi ansam capere: neqve enim exempla defore credo eorum, qvos id feciſſe pœnituerit. Tandem ut inter thesin & hypothesin interest, ita & à generaliore vel indefinito elencho aut dehortatione ad privatum & individuum ut qvis progrediatur, incerta deliberatio est.

§. 27. His ergo modis ne claudantur viæ, captatæ votis omnibus utilitati, auctoritate, prudentiâ, industriâ, humanitate præsidis opus erit, qvi ejusmodi collegia instituit atqve dirigit. Auctoritate, ut leges dicendi

endi cuiqve præscribat, & ultrà qvàm decebat se diffundentem coerceat, ut forma modusqve rei fini suo proprius servetur. Prudentiâ, ut qvi eodem collegio rectè jungantur vel minùs, qvæ cuiq; loco, tempori, hominumqve ingeniis apta sint, probè dispiciat. Etenim vel tacere peritiores necesse est, vel planè abesse, cum rudiorum qvis conatûs exsuscitare cupit, præstatq; sæpe ejusdem indolis vel conditionis homines seorsim exercere, qvàm promiscuam instituere plurium collectionem. Industriâ opus est, ad orationem cujusqve eò flectendam, qvò tendit institutum, ad corrigendum aberrantem, juvandum deficientem, explanandum obscuriorem, deniqve ad profectûs cujusqve qvæstionibus & objectionibus qvasi obiter injectis tentandos. Deniq; humanitate, ut animum addat modestioribus ac timidis, tum blandè invitando singulos, tum patienter audiendo, & qvæ qvisqve profert ita assumendo, ut pudori etiam errantium salvâ tamen veritate parcat. Qvas virtutes si & illi observaverint, qvi in collegiis talibus membra frugi esse cupiunt, & rectiora monentes secuti & monendi sui aliis libertatem concedentes, alios tardiores ad simile studium adducere poterunt, ita ut qvamvis non omnis qvi qværitur & in omnibus, multos tamen in multis fructus ex hujusmodi instituto redundet.

§. 28. Qvia autem consilia non tantùm ex utilitate rei, sed & ex damno, qvod inde timeri potest, æstimare prudentis est, nec applicare oportet morbo remedium, qvod vel æqvè vel graviùs nocet, qvàm prodest, omnino & in hac causâ si rectum velimus formare judicium, probè dispicere oportet, an & tam firmis argumentis detrimenti securi simus, qvàm de utilitate collegiorum persuasi, ne uno fortè sic fugato dæmonio septem alii per posticum subintrent. Qvod suâ naturâ bonum est, effectûs ex se pravos edere neqvit, ut bona arbor malos fructûs non fert, *Matth. 7. v. 18.* Per accidens tamen fieri potest, ut occasionem inde ferociendi sumat id qvod malum est, juxta *Rom. 7. v. 11.* At medium, qvod procurandi boni causâ inventum est, ut suâ naturâ indifferens est, ita utrinqve & ad bonos & ad malos effectûs promovendos pro rerum & circumstantiarum varietate sæpe aptum esse solet. Etsi igitur, qvod suâ naturâ bonum est, ob accidentales eventûs omitti non debet, nec qvæ DEUS disertè & purè jussit, ob qvaliscunqve detrimenti metum negligi vel prohiberi, (id qvod Jesuitis scrutinium S. literarum accusantibus responderi solet) humana tamen consilia ad utrumqve casum expendenda sunt, ne ita nobis placeat finis nostri obtinendi persuasio, ut sine præcautione aliorum symptomatum in eum unicè oculos defixos geramus.

§. 29. Solent hæc prudentiæ monita sæpe rejici solâ hâc distinctione, qvòd qvæ ex consilio nostro metuuntur damna *per accidens* inde oriantur, *non per se*. Verùm nimis jejuna est metaphysica hæc limitatio qvàm ut sufficiat ad tantas res expediundas, ut ab hujus cautelæ necessitate liberemur. Per accidens qvid fieri variis modis dicitur: qvandoqve excluditur hoc nomine omnis causæ relatio, qvandoqve non item: & cum ad causam refertur, vel ab influxûs physici vel ab intentionis vel ab utriusqve ejus negatione definitur. In hac ultimâ eâqve leniſſimâ definitione vix *dolum* excludit, nedum culpam. Nam qvi intentionem generalem aut indirectam habet, potest tamen dici intentionem ejus specialis effectûs qvi secutus est, non habuisse, imò sæpe planè contrariam habuisse, v. g. si ad procum noctu invitandum fores aperiens furi viam fecerit, aut scalam illi commodaverit ad Caji domum compilandam, qvi ad Titii ædes illam admoveat. Ubi verò dolus animi penitus abest, & qvantacunqve apparet optima ageutis intentio, culpam tamen qvæ in justæ cautionis neglectione consistit latam levemq; & qvam nonnulli addunt leviſſimam, in civilibus causis JCti imputant illis, qvi ad factũ qvomodocunq; concurrunt, & pro cujusq; vel contractûs vel delicti naturâ præstare jubent: qvantò magis in foro divino nos putabimus reos esse, si qvâ nostrâ negligentiâ damnum ecclesiæ concilietur, dum lucrum *illi* cupimus. Certè scandali etiam accepti (qvod adeò per accidens evenit) reum esse pronunciat Apostolus illum, qvi suâ libertate utitur in eduliis, unde novit alios offendi *Rom. 14. v. 19. seqq.* Ergo etiam ille tristium eventuum reus est, qvi ejusmodi sequitur consilia, qvæ novit vel nosse etiam debuit, tales eventûs, qvamvis non nisi peraccidens, datura esse. Distinguit qvidem Aristoteles *1. Rhet. 13. & 5. Moral. 10.* ἀτύχημα casum ab ἁμαρτήματα peccato seu culpâ, qvòd illud sit παράλογον inopinatum, hoc non item, illud principium causæ extrinsecum habeat, hoc intrinsecum; sed rectè observant JCti, etiam in casu interesse, utrum culpa eum facilitans præcesserit vel minùs: ita ut illud demum citra culpam nostram per accidens evenisse intelligatur, qvod vel prævideri antea non potuit, vel ne accideret, sufficienter cautum erat; sicut DEUS legem ferendo, qvòd peccandi inde occasionem habituri sint homines novit qvidem, sed ne peccarent, satis & viribus & monitis instruxit. Itaqve & hoc collegiorum instituendorum consilium non securè tractandum, sed & ab omni, qvi prævideri potest, tristi eventu bene muniendum est, si extra culpam esse cupimus,

& qvia

& qvia qvò majoris qvæqve res est, qvòqve gravius in eâ damnum sentitur, eò majorem exposcit diligentiam patrisfamilias, præsertim illi, qvibus ecclesiæ cura demandata est, sibi hac in re accuratiorem, qvàm in aliis negotiis, diligentiam demandatam esse norint, ne sibi & aliis falsâ prudentiæ fiduciâ noceant.

§. 30. Vulgatum etiam est, qvod objici solet rem ob pronum ad extrema lapsum dissuadentibus, *tollatur abusus & maneat usus*; sed verbum est dictu qvàm præstitu facilius. Norunt qvi ad clavum rerum publ. sedent, qvanta sæpe opera fruſtra insumatur ad abusûs à rebus avellendos, & vavritie hominum, inventâ lege statim etiam fraudem novam invenientium, omnes ejusmodi conatûs miserè eludantur. Qvædam sanè negotia & ritûs ita comparata sunt, ut facillimè suis carceribus contineri possint, sed alia sunt, qvæ non item: estqve illa præcipua prudentiæ rectricis pars, leges ejusmodi invenire, qvibus qvisqve officium facere ita cogatur, ne abusum recipiant, qvæ ad utilitatem publicam introducta sunt. Qvando autem separatio usûs ab abusu difficilis est, vel qvodammodo impossibilis (qvod fieri solet in iis, qvorum moderatio à pluribus pendet, & progressus latenter crescit) præstat sæpe illo penitus carere, ut & hoc feliciter possis. Comparanda enim est in illâ difficultate utilitas rei cum detrimenti vel culpæ magnitudine, qvæ in abusu ejus continetur, & prout alterutra lanx alteram pondere superat, vel utilitatem pariter cum detrimento rei nolle, vel hoc qvasi levius propter majus commodum tolerare oportet. Inde fit ut nulla respublica tam bene ordinata legibus sit, qvæ non iniqvi aliqvid aut noxii togatur permittere. Neqve adeò nos ecclesiæ formam ullam tam felicem in hoc mundo nobis imaginamur, qvæ non ferendis variis hominum peccatis obnoxia sit, neqve nunc tale promovendæ pietatis remedium dari posse, qvod ad omni abusûs periculo exemtum sit, aut collegia eo nomine rejicienda esse censemus, qvòd aliqvam ejus occasionem præbere possint; sed id tantùm dispicimus, utrum qvicunqve hic est abusus vel damnum qvod timetur, facilè caveri possit nec ne, aut si non possit, an etiam tanti sit, ut propterea & utilitatis spem, qvàm collegia illa monstrant, spernere oporteat.

§. 31. Opponi autem generaliter à nonnullis contrà omnem siniſtram de collegiis suspicionem animadverto communes illas promissiones, qvæ credentibus in S. literis dantur de fide & constantiâ amoris divini, curâ Patris in qvam commendati sunt, custodiâ illorum per fidem, obsi-

gnatione Spiritûs S. auditione precum &c. tum præcipuè speciale illam gratiosæ præsentiæ, qvam dedit Christus *Matth. 18. v. 20.* iis, qvi in ejus nomine colliguntur, his verbis: *ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ego sum in medio illorum.* Reveremur sanè hæc, & solatium ac bonam spem nobis præbere agnoscimus, fore, ut qvæ in nomine Dei ad bonum finem qværuntur media honesta, optatum exitum nanciscantur: at illam non præbent juris præsumtionem, qvæ argumenta justi timoris, qvæ in contrarium objiciuntur, sine omni alio rerum examine elidant. Etenim neqve Calviniani, qvi promissiones ejusmodi divinas, qvæ ad fidei perseverantiam pertinent, absoluto qvodam & illimitato sensu explicant, illas ad collegiorum tale privilegium torqvere ausint, qvo abusûs periculum excludatur, nisi pariter & omnia concilia erroris immunia esse velint pronunciare. Nam vel de hypothesi semper dubia qvæstio remanet, an & re verâ fideles sint, & in nomine Christi colligantur, qvi se esse & colligi profitentur, imò & sibi ipsis persuadent. Secundùm nostram autem harum promissionum explicationem, qvâ Calvinianis solemus respondere, in tantum ratæ sunt, in qvantum nos ipsos apostasiâ & malis operibus illorum effectu non privamus, neqve Spiritui S. rectiora docenti malitiosè resistimus: qvod ne fiat, cavere qvidem & nos ipsos examinare possumus, de aliis autem qvid facturi sint, non æqvè certi esse. Saltim ab intentione agentis & bono fine ad bona qvoqve media illorumq; rectum usum non procedit argumentum. Promissio etiam præsentiæ Christi non pertinet omnis ad directionem mentis, veræqve sapientiæ ac pietatis instillationem: & fiducia inde & metus alitur, fiducia in adversis, qvòd illa videat Christus, adsit & ferre juvet, precesqve nostras audiat, metus in peccandi illecebris, ut reverentiâ tanti observatoris nostri ab illicitis abstineamus. Sic in Alcorano Muhammedis *surata 58. de disput.* universalis Dei præsentia omnes actiones nostras observantis describitur ما يكون من نجوى ثلثة الا هو رابعهم *non sunt in secreto tres qvin ille sit qvartus illorum &c.* verbis à textu Evangelico non multùm abludentibus. Nec caret ejusmodi explicatio textûs omni fundamento, qvia nempe ratio adducitur audiendarum precum, qvæ esse potest, qvòd Christus ubiqve adsit: & qvanqvam limitatio subjecti ad eos, qvi *in nomine Christi* conveniunt, præsentiam potiùs gratiosam atqve specialem Christi promittat, non ultrà tamen, qvàm ad procurandam precum exauditionem permittit illius effectum, extendere

dere nexus, qvi cum versu præcedente est. Præservationem à lapsu & errore aliqvam, qvatenus nempe & in qvantum in Christi nomine agimus, etsi materialiter textui inesse haud negamus, formaliter tamen in principali & directo scopo verborum non invenimus.

§. 32. In detrimento tamen æstimando, qvod utilitati rei opponatur, non illam qværimus cautelæ superstitionem, qvæ omnia omnino salutaria consilia ad optatum ejusmodi finem obtinendum suscepta evertat. Nimis illa pernicioſa fuerit Satanæ fraus, qvæ facilè omnem prohiberet irrepentium abusuum emendationem, & architectonicam cujusvis reip. potestatem penitus tolleret, si qvovis incerti mali metu certam boni spem refutare, & officium tollendi præsentis abusûs sub qvâvis prophasi oborturi alterius negligere velimus. Freqvens est objectio & aliqvibus nimis familiaris, ut qvandoq; etiam cum manifestis scandalis occurritur, non esse qvid innovandum in ecclesiâ clamitent, neq; scandalum infirmis mutatione rituum dare oportere. Qvæ qvidem non injusta cautio est, si tantilli res momenti est, ut mutatione non magnopere indigeat, si utilitas, qvæ inde speratur, exigua, eventus dubius, & innovatio admodum insolita est, ac omni populo observabilis. Rectè enim Augustinus *ep. 118. ad Januar. ipsa qvoq;*, inqvit, *mutatio consuetudinis, etiam qvæ adjuvat utilitate, novitate perturbat.* Adde, qvòd & levitatem animi vel sibi non satis constantis vel gnaviter ambitiosi prodat, qvi semper novis inventis delectatur, ubi qvæ veteri mori causa subsit, sæpe necdum satis expendit. At cum manifestis occurrendum est abusibus, & graviores causæ exurgunt vel vetera revocandi illorum remedia, vel nova adinveniendi, non possumus hac solâ novitatis qverelâ laudabiles ejusmodi conatûs extinguere. Non tanti est novitatis scandalum, qvanti malorum morum neglecta emendatio: illud paucorum dierum est, & facilè reparabile rectiore institutione, hæc perpetuam certamq; jacturam affert. Imò si verum est, qvod ita obtenditur, ex qvovis ejusmodi consilio scandala oriri, certè ea culpa bonam partem in illos ipsos presbyteros redundat, qvi inter necessaria & adiaphora qvid interſit, qvæqve pro adiaphoris, qvæ pro divinis præceptis observare oporteat, populum haud satis diligenter docent. Nisi enim populus de ecclesiæ ritibus malè persuasus esset, ut qvi non obtinent, pro illicitis, qvi obtinent, pro essentialibus cultûs divini partibus acciperet, non posset tam facilis esse scandali metus. Qvanqvam etiam optandum est, ne illa scandali πρόφασις

freqvens pertinaciæ & morositatis prætextus fit in iis, qvi moribus suis plus qvàm ipsa plebs delectantur.

§. 33. Modestior est illorum oratio, qvi nova qvidem ubi opus est consilia ferre possunt, differre tamen suadent ad communem multarum ecclesiarum consultationem, ne à privatis, nec ab unâ vel alterâ ecclesiâ seorsim suscipiantur, communem nempe causam omnium sententias reqvirere rati, ut decenter atq; ordine omnia fiant in ecclesia, nec difformitate rituum à singulis temerè introductâ ipsa qvoqve religio magno aliorum scandalo videatur variare. Ita respondere solemus illis, qvi v. g. exorcismi ceremoniam aut hostiarum, qvæ dicuntur, seu orbicularis minuti panis usum in eucharistico sacramento, utiliter abrogari posse censent. Sed hæc responsio uti bona est in illis causis, qvæ nec emendatione admodum egent, & eò nobis graviores videntur, qvò duriori adversariorum accusationi subjacent, ne illam agnovisse videamur, aut hypocrisi qvâdam illis, qvi diversa sentiunt, placere voluisse, aut concordiam cum sociis fidei minùs æstimare: ita in illis causis, qvarum æqvitas ab omnibus agnoscitur, aut necessitas emendationis magna est, vel utilitas insignis ostenditur, ut ille præsertim finis est, qvi collegiis apud nostratium nonnullos qværitur, non æqvè videtur locum habere. Etenim si rem, ut est, dicere volumus, hæc ferè causa est, qvòd qverela omnis de corruptione morum, qvam passim audimus, sine remedio relinqvatur, qvòd pleriqve ad ejusmodi consilia animum flectant, qvæ sine plurium consensu & concordibus studiis exitum habere neqveunt. Qvi emendationem ecclesiæ commodè fieri posse dicunt, dummodo communis omnium ordinum opera illuc dirigatur, qvid dicunt aliud, qvàm commodè illam suscipi posse, dummodo omnis ecclesia jam tum emendata sit, ut veram DEI pietatem sibi qvisqve curæ cordiqve habeat? Si de singulis ecclesiis talis harmonia plurium capitum vix speranda est, qvantò minùs de omnibus? Nimis ad jurisdictionis politicæ mensuram atqve multitudinem scissum est ecclesiæ nostræ regimen, & summæ rei administratio penes illos plerumqve, qvi Theologi non sunt, atqve ut potestate ita & animis sæpe divisi sunt episcopalium jurium possessores, ut nulla vel certè parva spes appareat generalis aliqvando concilii indicendi ob causas merè Theologicas. Nec veteris ecclesiæ majora concilia sine auctoritate Imperatorum cogi potuerunt, cum qvorum accisis bello limitibus etiam ipsa conciliorum amplitudo imminuta est. Qvantæ molis fuerit vel concordiæ formulam

lam passim introducere, superioris seculi historia docet, ex qvo tempore ad similem aliqvam deliberationem sopiendarum controversiarum, nedum regiminis ecclesiastici canones firmandos, perveniri nunqvam potuit. Ut adeò nimis longum videatur remedium præsentis mali, qvod illuc rejicitur.

§. 34. Qvod si ad receptos etiam in ecclesiis nostris mores oculos conjicimus, & qvanta sit multorum rituum in pluribus locis varietas, & multa successu temporis passim introducta mutatio, ut exteris vix videantur inter se sententiis consentire posse, qvi ceremoniarum observatione tantopere differunt (qvemaomodum ipse memini me hominem aliqvando audire, qvi in Saxoniâ se lubenter Lutheranum fore profitebatur, non autem in Hassiâ superiore) facilè etiam illi argumento, qvod à particularis instituti scandalo petitur, satisfiet. Etenim cum jam tum satis assueti sint nostri particularibus ecclesiarũ legibus, cum regiminis ecclesiastici modo monarchicam modo aristocraticam formam, clericalium ordinem gradûs & distinctionem modò neglectam modò servatam, electionem presbyterorum, jam multitudini jam paucis jam uni datam, vestitum illorum modò peculiarem modò communem observent, ordinem missæ, superpellicea & vestimenta missalia, cantum presbyterorum ad altare, situm & structuram altaris, dispensandi Sacramenti modum, confirmationis ritum, affusionem aqvæ baptismalis, confessiones privatas, benedictionis nuptialis ceremonias, sepulturas, templorum ornatum, & qvid non? deniq; ipsam libertatem admittendi in cathedrâ pro ordinariis presbyteris pædagogos aut Theologiæ studiosos, per diversas provincias atqve urbes variare animadvertant; qvis poterit scandalo locus superesse, cum & collegiorum privatâ institutione novi qvid alicubi tentatur? Multa qvondam statuerunt provinciales synodi, qvæ ab aliorum more erant aliena, nec sibi tamen mutuò dicam scandali dati provinciæ scribebant. *conf. August. l. c.* Ut temporum ita & locorum discrimen est, nec omnia consilia omnibus locis apta esse possunt, non tamen propterea qvòd aliis commodum non videtur remedium, nos qvoq; illius fructu carere æqvum est. Ideoq; non magis, eo nomine qvòd alibi non fiant, qvâm qvod ante facta non sint, collegia accusari posse censemus.

§. 35. Cum autem à generali illâ novitatis accusatione ad speciale ipsius rei examen progredimur, occurrit nobis Gisb. Voetius, Calvinianæ Theologiæ apud Ultrajectinos qvondam Professor veteranus, qvi pro privatis etiam pietatis exercitiis locutus, incommoda, qvæ inde exurgere videntur,

tur, sibi objicit & resolvit *disp. 2. de communione Sanctorum*, qvàm ex *part. 5. disp. select. p. 398. seqq.* Germanicè versam & Hanoviæ ante aliqvot annos recusam vidimus. Hæc si ad ea collegia, de qvibus nunc agimus, specialiter applicamus, cum illis, qvæ alii movent, juncta, qvinqve ferè vitia observamus, qvibus contra ecclesiæ salutem, & sextum, qvo contra salutem reipublicæ peccatur, qvorum in iisdem fomes metusqve contineri, videtur, nempe (*1.*) *heterodoxiam* (*2.*) *enthusiasmum* (*3.*) *hypocrisin* (*4.*) *contemtum S. ministerii & publicorum conventuum* (*5.*) *schisma* (*6.*) *seditionem*: mala maxima, qvorum pondus, si suspicio justa esset, omnem utilitatem, qvam suprà nobis inde promisimus, facilè superaret & everteret.

§. 36. Suspicio oborturæ inde heterodoxiæ non solâ nititur rei possibilitate, ut Voetius objectionem format, & ex illâ hypothesi facilè invenit, qvod respondeat; sed argumentis qvoqve probabilibus instructa apparet. Nam (1.) omnis circa ritûs & mores ecclesiasticos, & sic qvoqve docendi modum, innovatio ab animo rerum novarum cupido, qvin & novâ & peculiari circa religionem sententiâ plerumqve proficiscitur; qvæ in ecclesiâ orthodoxâ, qvalem nos habere supponimus, plena periculi res est, ferèq; non nisi instar fermenti puram sanctamqve doctrinæ cœlestis massam afficere potest. (2.) in privatis ejusmodi synaxibus evidens panditur occasio disseminandi clanculum ejus erroris, qvem palam coram omni populo propalare non ausis, adeòqve propterea expeti potissimùm solet, ut tuta conatui via sit: unde contra illas ipsum jus præsumit *2. Tim. 3. v. 6.* (3.) etsi in ipsis initiis ejusmodi collegiorum tale qvid non intenditur, successu temporis tamen ipsa ex illis exercitiis qvæsita eminentioris scientiæ aut sanctitatis opinio leves animos illuc facilè impellet (4.) idem etiam ut præstet multorum confusè docentium adamata apud imperitos auctoritas, in proclivi est (5.) has omnes rationes suffulcit aliorum locorum atqve temporum experientia, qvam sibi ex historiis multi persuadent. Nihilominùs si materiam horum collegiorum probè intuemur facilè suppeditabit, qvod his rationibus opponatur. Qvod enim *ad primam* attinet, constat jam ex ante dictis, qvo fine qvoqve animo hæc consilia suscipiantur, nempe eo, qvem nemo bonus laudare non potest: in qvibus igitur non tam novitatis studium qvàm diligentiæ & fortitudinis elucet, efficere conantis qvod alii tantùm optant, ut securitati ruditatiqve hominum feliciori qvædam medela afferatur. Qvâ in re etiam si qva, ut in omni in-

ven-

vento, novitas ineſt ſententiæ, circa adiaphora eſt, & ea qvæ religioni externa ſunt, non circa ipſa fidei aut doctrinæ Chriſtianæ capita. *Secundam* rationem ipſa illa ſuſpicio, qvæ in privatos conventûs vulgò cadit, poteſt elidere, cum omnino probabile non ſit fore, ut qvis ſe obſervatores, etiam ſubornatos, non habere credat in ejusmodi exercitiis, præſertim ſi absqve diſcrimine volentes qvosvis ad illa admittit; unde qvisqve prudens ſe eò cautiorem eſſe oportere intelliget, ne qva in ea influat heterodoxiæ labes, ſi qvidem nolit illa jure carpi vel improbari poſſe. Præſumtiones juris non reſpuunt contrariam probationem, ut docent Canoniſtæ; neqve etiam Paulus, qvod ſpecialiter intuitu eorum dixit, qvi eo tempore eccleſiam turbabant, voluit ut ad privatas inſtitutiones generaliter omnes extenderetur. *Tertia* ratio id ſupponit ex collegiis his oriri, qvod oppugnari per illa potius cenſent viri pii atqve eruditi, animi nempe ſuperbiam & levitatem. Qvæ novarum opinionum matres ſi inde non ſurrexerint, neqve talem ex illis fœtum excludi poſſe certum eſt. *Qvarta* per ipſam interpellandi libertatem ſatis videtnr refutari: etſi enim reſpondere nemo poteſt de omnium auditorum rectâ vel pravâ attentione, qvâ verba dicentis accipiunt, errorem tamen ſuum qvisqve faciliùs prodit, cum licet qværere, vel addere aliqvid iis qvæ dicta ſunt, & ex aliorum verbis de eâdem re repetitis ſæpe feliciter corrigit; qvod fieri neqvit in eccleſiâ publicâ. *Qvintam* rationem, ſuppeditare potuit experientia aliorum conventuum privatorum: at illa de ejusmodi collegiis, qvalia ſunt, de qvibus nunc demum à paucis annis apud nos agi cœpit, vix poterit haberi. Qvia autem ad illorum cauſam non intereſt, omnia promiſcuè privata conventicula laudari, neqve circumſtantiæ, qvæ aliis propriæ ſunt, & triſtis exitûs cauſæ, molliori judicio, qvod de his formetur, debent obeſſe.

§. 37. Enthuſiaſmi metus in libertate dicendi potiſſimùm qværitur, qvæ videtur facilè hominem μωρόσοφον inani opinione inflare, ut ſibi majorem qvàm aliis gratiam factam eſſe ad intelligendam Scripturam S. perſuaſus, tandem etiam pro revelationibus peculiaribus ſuas ſententias honorari velit. Habet hæc accuſatio colorem, qvòd non alii magis homines ſingulare ejusmodi lectionis explicationisqve biblicæ ſtudium præ ſe ferre ſoleant, qvàm qvorum ad ejusmodi enthuſiaſmos animus pronus eſt, non ceſſante etiam Satanâ qvemqve in eam partem impellere,

ad qvàm facillimum lapsum minatur. Sic qvoqve illos, qvi in privatis conventibus docere cœperunt, mox inde sibi jus, & ex jure tandem vocationem divinam internam immediatamqve imaginari, non uno exemplo compertum est: qvâ viâ plures fanatici in orbem intrarunt. Verùm enim verò hæc ratiocinatio, si rectè ejus vim percipimus, enthusiasmi semina non ex hoc legendi docendive studio, qvod in collegiali libertate est, sed hoc potius ex illis deducit. Docet, inqvam, homines ad tale vitium pronos lubenter ad hæc exercitia prolabi, ut tam sibi qvàm aliis sub specie virtutis imponant, anteqvam ad extrema apertis gressibus pergant (qvandoqvidem juxta poëtam *nemo repente fuit turpissimus*) non verò docet, illos vel omnes vel plerosqve, qvi ita scrutari scripturas vel alios docere amant, fanatico tali impetu duci, multò minùs eos, qvorum mens pura fuit, inter illa exercitia periculum ejus contrahere. Dixerim potiùs, illos qvi sic animo affecti sunt, dedoceri in ejusmodi collegiis hæc principia posse, qvorum forma, qvamvis ad Theologiam moralem exponendam tantùm institutorum, vix patitur, ut morbum talem diu dissimulent ægri, aut alii saniores, cum eum in amicis animadvertunt, corrigere non laborent, sive in ipso confessu orationem eò flectentes, sive clam absqve arbitris eâ de re agentes. Qvi sine sententiarum collatione soli apud se philosophantur, faciliùs se perdunt, qvàm qvibus hæc medelæ via patet, qvæ in privatis conventibus magis qvàm in publicis panditur. Neqve scrupulosius divinæ Scripturæ studium per hæc collegia injungitur, qvàm cujusqve ingenium ferre potest: licet sanè interesse illi, ut publicis concionibus, audiendo tantùm, etsi nec legere possis nec imitari alios supra vires coneris. Tandem cum fortiùs se effuderit atra bilis in homine, aut vehementior persuasio cerebrum occupaverit, palam est placere illi ea collegia non posse, qvæ omnibus eandem dicendi libertatem tribuunt. Qvantò enim augustiùs de se sentit id genus hominum, tantò promtius obsequium ab aliis reqvirit: soli sapere sibi visi, soli docere & audiri cupiunt, vel non nisi cum iis honorem illum partiri, qvi pari œstro furunt. Qvod si privatis conventiculis delectati sunt qvondam fanatici, illis delectati sunt, qvibus auctoritate præsidebant, aut ab ejusmodi præside inflammabantur, non qvibus communi aliorum industriæ subjiciebantur.

§. 38. Hypocrisis in partem suspicionis venit, qvâ collegia pietatis

one-

onerantur, his potissimũ de causis, qvòd (1.) privâti conventûs ad finem talem communem atq; publicum obtinendum instituti, ipsâ re qvandam inferant aliorum accusationem, qvasi sanctitatis aut emendationis suæ minùs studiosorum, dum in vulgari & recepto hactenus cultûs divini exercitio acqviescunt, (2.) communiter homines in externâ se disciplinâ potiùs qvàm veris animi virtutibus admirentur, ideoqve facilè fiat, ut hæc collegia, qvibus emendari debebant, pro ipsâ emendatione arripiant, satis se sanctos arbitrati, cum in illis numerum faciunt (3.) eandem ob causam verisimile sit, fore ut pleraqve hominum multitudo, istuc non nisi ostentationis gratiâ confluat, ut supra alios pii ac probi videantur (4.) etiam illi, qvos verum studium emendandi sui occupavit, inde ad ambitionem & fastum erigi debeant, cum fructum collegiorum ex se ipsis & factis per illa progressibus metiuntur. Harum autem causarum vim consideranti patebit, *primam* ferè similem esse *illi* argumento, qvod suprà examinavimus generaliter contra omnes novas consultationes oppositum, *ne majorum diligentiæ videatur accusari.* Eadem igitur qvæ majores tuetur apologia, tueri etiam illos poterit, qvi institutis jam collegiis in veteri colligendi & domesticæ pietatis more acqviescunt, nempe qvòd nec omnes hoc ad emendationem augmento sacri exercitii indigeant, aut ob peculiares rerum circumstantias uti possint, vel de utilitate ejus persuasi sint. Misera esset nobis vivendi ratio data, si in omni negotio alieni exempli defectus accusatæ ejus diligentiæ culpam in nos devolveret. *Secunda* causa eâdem specie veri contra synaxes & ritûs omnes publicos, *reliqvæ* verò *duæ*, contra qvodvis sanctitatis vel studium vel incrementũ urgeri possent. Satis etiam sibi sancti videntur homines, cum statis horis in templis comparent, orationem presbyteri audiunt, Sacramenta & alias ceremonias sacras solenniter obeunt, neqve illa tamen hypocriseos experientia ipsos hos ritûs nobis suspectos reddit. Qvod alii ostentationis & ambitionis causâ præ se ferunt, vero animo & purâ mente nisi velint seqvi fideles, actum est de omni pietate & religione. Eadem facies est viri boni & hypocritæ, idem fastigium occupavit qvi ibi stat, & qvi inde decidit. Absurdus fuerit, qvi ne hypocrytæ similis fiat, nolit viri boni faciem induere, aut ne ambitione cadat, omnino ad virtutem non assurgere malit. Qvod autem omni pietatis causæ vel medio æqvaliter objici poterat, non potest unius magis qvàm aliorum fugiendorum causa esse.

§. 39. Contemtus S. ministerii videtur à laicorum admissione ad idem docendi jus fluere debere, contemtus autem publicorum conventuum ab amore & freqventiâ privatorum. Ubi enim plus utilitatis qvis ex his exercitiis se capere putat, mox ecclesiam deseret, & publicam præconis divini vocem suæ & sociorum privatæ sine dubio postponet. Desinet ut patrem revereri presbyterum, qvi se jam collegam esse ratus est, & se suasqve meditationes illi qvandoqve etiam opponere didicit. Ita scilicet argumentantur, qvi hæc collegia oppugnant. Sed hanc non esse firmam consequentiam vel solæ Academicæ disputationes docent, ob qvas sicut lectiones haud negliguntur, nec deminuitur Professorum honos, ita nec ob libertatem collegialem idem ecclesiis earumq; presbyteris timeri potest. Si rectè Deus fortunat collegiorum finem, vehementius accendi oportet ad synaxes publicas freqventandas & honorem S. ministerio habendum, omnes qvi illic veræ pietati innutriti sunt, qvemadmodum & domestica pietas, qvæ in qvâqve familiâ obtinet, ad id incitat. Fieri qvidem potest, ut privati conventûs sic expresè instituantur, ut publicis impedimento sint, sed ubi id non fit, ubi locorum & horarũ sic bene subducta ratio est ut oportet, qvare illos sibi invicem damnum inferre metuamus, causam non videmus. Nec magis reverentia ordinis ecclesiastici prohibet laicos omni docendi jure. Qvemadmodum enim fœminæ salvo honore, qvi sexui masculino debetur, possunt mares viam Domini ignorantes de illâ erudire privatim, non tantùm filios & nepotes, juxta *2. Tim. 1. v. 5.* sed & extraneos, ut factum est à Priscillâ *Act. 18. v. 26.* & Hannâ *Luc. 2. v. 38.* & sic multò mâgis fœminas præsente fortè aliqvo & audiente viro, neqve prohibitio Apostolica, qvæ illas docendi officio interdicit, nisi ad latiores ecclesias pertinet aut illos conventûs privatos, qvibus mares docere volunt & possunt, ut censet Lutherus *T. 2. Jen. Germ. fol. 14. b.* ita nec exuit reverentiam erga presbyterum laicus, qvi laicos alios præsbytero volente & audiente docuerit. Non putabat Paulus Apostolicæ auctoritatis suæ periculum in eo versari, qvòd *cum multis aliis* Antiochiæ doceret, *Act. 15. v. 35.* atqve ita nec presbyteri auctoritas periclitatur, si & alios secum docere patiatur, à qvibus fortè & ipse aliqvando discat. Eqvidem patimur id vulgò & rogamus etiam, ut præsente presbytero laicus sæpe valdè juvenis dicat in ecclesiâ, spei tantùm ordinis aliqvando capiendi innutritus; qvidni pati possimus, ut nostrâ cum veniâ idem faciat in privato conventu vir illiteratus, sæpe tentationibus piisqve

medi-

meditationibus magis qvàm alii, qvi sibi scientiæ clavem propriam esse putant, exercitatus. Cum in conviviis vel alio hominum cœtu qvis peccat, non absolvit laicum præsentem præsumtio de præsente alio corripiente ex officio pastorali, qvin ipse eum corripere teneatur, secundùm *Hulsem. de corrept. frat. p. 21.* Si illâ in re non læditur honos presbyteri, qvòd alius correptor ejus officium antevertat, qvanto minùs læditur, si alius ejus sermonibus qvid addat, aut collegia in eum finem instituantur, ut addere liceat?

§. 40. Periculum schismatis & seditionis ab iisdem ferè causis fluit, qvia utriqve motûs objecto magis qvàm formâ differunt, & ut hæc contra reipublicæ, ita illud contra ecclesiæ pacem insurgit. Etenim hæc suspicio non potest cadere in eos, qvi gloriam & opes hujus mundi spernere, patientiâ ac obseqvio, omniq; virtutum Christianarum exercitio in fide erga Deum hominumqve amore proficere, regnumqve Christi augere discunt: attamen hoc prætextu uti possunt, qvicunqve mali aliqvid machinantur, ut qvasi in collegia pietatis coëuntes, in perniciem vel ecclesiæ vel reipublicæ conjurent. Qvæ causa est, qvod nec promiscuam collegiorum licentiam permittendam esse censeant JCti. Neqve concludit argumentum, qvod reponit Voetius, à coitionibus aleatorum, confabulantium, saltantium &c. tali suspicione non oneratis, qvalis in religionis & pietatis conventûs vulgò torqvetur; qvia satis compertum est, qvid hypocrisis fanatica & horribile religionis secretũ possit, ad res maximas arduasq; tentandas, cujus rei Anglia præcipuè & cohærentia illi regna hoc seculo documenta plurima dederunt. Nam & qvæ obortorum illic motuum sub Carolo I. causa, qvisq; progressus ad immanem sectarum divisionem fuerit, non exscriptorũ Batavorum judiciis, qvi pleriq; tumultibus presbyterianis, tanqvam fratrũ fidei, applauserunt, sed ex verâ gentis historiâ discendum est, ne in Senatûs popularis sive Parliamenti, qvod dicitur, negligentiâ, de novo post ejectos episcopos & abolitam liturgiam directorio tardiùs cogitantis (qvanqvam tale jam a. 1645. vivente Rege prodiit) sed in primis potiùs omnium turbarum initiis, privatis scilicet per omnes angulos congressibus, & tribunitiis non-conformiastarum (ut appellantur) ministrorum declamationibus, causam mali ejus qværamus. Interim tamen cessat ejusmodi suspicio, cum privatim qvidem sed nihil tamen secretò agitur, cum observator qvisqve accedere & nihil fieri, qvod ad divisi-

onem animorum faciendam pertinet, animadvertere poteſt. Nec apud Romanos tam factionum metum, qvàm comeſſationum & compotationum intemperantiam cauſam fuiſſe primam non admittendorum collegiorum omnium, cenſet Cujacius *obſ. 30. lib. 7.* Eqvidem non omnis hominum, locorum, aliarumq; circumſtantiarum conditio patitur, ut ſemper ex collegiis etiam religionis causâ clam coëuntibus tales motûs metuamus: unde & plura in republ. concedi ſolent, & noſtratium ſi collegia rectè conſideramus, de qvibus hîc agitur, proculdubio majore jure valet de illis judicium Auguſti, qvod is apud Philonem de Judæorum coitionibus tuliſſe dicitur, qvòd non ſint crapulæ & vinolentiæ, nec ſeditionum nutriculæ, ſed ſcholæ temperantiæ & juſtitiæ hominum ſummo ardore animi omne virtutis genus amplectentium.

§. 41. Verſamur autem hîc in contingentibus, ubi univerſalibus propoſitionibus vix locus relictus eſt, neqve certam concluſionem formare licet, qvæ ultra probabilem ſpem aſcendat. Conſtat à leviſſimâ qvâvis circumſtantiâ conjecturam variare, & imprimis cujusqve hominis ingenium reſpiciendum eſſe tale qvid tentantis, de cujus eventu interponere judicium volumus. Qvisqve ſe ipſum ſolicitè excutere debet, qvi tale conſilium, per collegia pietatis alios exercendi, imitari cupit, an etiam ad id aptus ſit, an temporis, loci, ſtatûs ſui conditio id patiatur, qvo animo, qvâ prudentiâ rem agat, qvàmqve aliis etiam candorem ſuum & prudentiam probare poſſit. Intereſt enim ad optimum ſucceſſum ſibi promittendum, ne aliis res ſuſpecta videatur, qvi tantum fortè ad diſſolvenda collegia poſſint, qvantum ipſe ad colligenda. Abſtinere igitur conſultum eſt ab inſolitis loqvendi formulis, novis & paradoxis Scripturæ explicationibus, etiam ubi articuli fidei non concutiuntur, familiaritate eum iis contractâ, qvi heterodoxas opiniones fovent, veſtitûs peculari tenuitate infra ſortem noſtram poſitâ, multis ad pietatis ſignificationem factis corporis geſtibus, cenſurâ aliorum extra ſocietatem collegii conſtitutorum, multis elogiis collegarum ibi proficientium, conviviorum omnium fugâ, nominis, qvod Chriſtianis commune eſſe poterat, in collegium peculiari collatione, omniqve eo, qvod vel heterodoxiæ vel hypocriſeos vel cujuscunqve alterius vitii talis, de qvibus egimus, ſpeciem præbere ſuſpicacibus ingeniis poſſit. Qvamvis enim defendere ſe ſatis poſſit contra calumnias, qvi tale qvid agit; præſtat tamen apologiâ non indi-

indigere. Etenim qvò pejora hodie tempora sunt, & operosior est satanas, ut piis conatibus qvalecunqve impedimentum objiciat, eò nos oportet circumspectiores esse, ne qvâ imprudentiâ nostrâ illi nocendi portam aperiamus. Dudum solet fervidior charitas & æstuans religione DEI pectus calumniis improborum subjici, id agente per hæc media diabolo, ut ab imitatione virtutis alii absterreantur. Facilè etiam viri cordati & probi possunt suggestionibus aliorum impelli, ut pravis suspicionibus bona instituta onerent. Mutuâ hîc moderatione animi opus est, ne qvam alter alteri, vel causæ DEI etiam, injuriam faciamus, hinc qvidem ne censorem instituti osorem finis esse arbitremur, illinc verò ne conatum ab eventu statim æstimemus.

§. 42. Generaliter tamen & hoc dicere licet, immuniora esse à siniſtris ejusmodi suspicionibus illa collegia, qvæ parocho vel presbytero auctore ubiq; locorum instituuntur, qvàm qvæ à laicis solis sine ejusmodi directorio ineuntur. Militat enim pro iis, qvi in publico ecclesiæ ministerio constituuntur, generalis qvædam præsumtio juris, ne tam facilè vel imperitiâ vel dolo peccare videantur, qvàm alii, postqvam ipsorum eruditio, fides & prudentia publicè probata est. Nam qvem palam in ecclesiâ veræ religionis zelotam esse experimur, non possumus, nisi graviora in contrarium adsint indicia, credere privatim heteroclita dogmata vel spargere velle, vel ut spargantur pati. Qvàm procul animus absit ab enthusiasmo, ab hypocrisi, à schismatis vel seditionis crimine, de nemine rectiùs constare potest, qvàm cujus publica vox omni hebdomade auditur, mores ab omnibus observantur. Contemtum aliqvem S. ministerii & publicorum ecclesiæ conventuum nec imaginari nobis de viris possumus, qvorum omnis in honore illo servando dignitas utilitasqve versatur. Præterea presbyteri etiam hoc officium proprium est, ut salutem emendationemqve gregis sui omni studio procuret, qvi in eâ re minùs videbitur audax vel πλυπραγμων esse, si privatim in iis laboribus perrexerit, in qvibus voto suo publicè non satisfacit. Is etiam qvi docendi auctoritate jam tum publicè eminet, fideliùs procul dubio eam in privato collegio servabit, abusûsq; irrepentes compescet, qvàm cui in hoc exercitio demum confertur. Qvam vis enim aliam contra clericos præsumtionem in comparatione cum laicis inducere ex Hieronymo videatur *c. transferunt. XXIV. q. 3. Veteres scrutans historias, invenire non possum*

sum scidisse ecclesiam, & de domo Domini populos seduxisse, præter eos qui Sacerdotes à Deo positi fuerunt, & Prophetæ, id est, speculatores: illa tamen verba tantùm docent qvid factum sit iis temporibus, cum solis episcopis & presbyteris evidens ad eam rem occasio daretur, à qvorum ore ductuqve populus semper pendere suevit; non autem qvid futurum sit, aut probabiliter timeri debeat, cum eadem occasio etiam laicis patere cœperit. Admodum velim nostra tempora non aliam nobis experientiam ejus rei *dedisse*, qvàm Hieronymus habuit.

§. 43. Ne autem publicum fiat exercitium, qvod ut privatum hactenus consideravimus, ad tollendas fortè, qvæ hoc nomine moventur, suspiciones, obstat tum exempli novitas, in publico magis qvàm privato conspicua, tum ipsa hominum multitudo, qvæ non æqvè commodè regi potest, ut evitentur varii ex libertate abusûs, ac potest minor numerus. Accedit, qvòd neqve aliorum in ordine suo sedentium vox in templis ab assidentibus reliqvis ita possit audiri, ut in privato cænaculo. Alia est ratio examinum catecheticorum, ubi voce presbyteri, ea qvæ qvisqve respondet, repetentis, emendantis aut ulterius declarantis, auditorium unicè docetur. Qvi tamen privatim tale qvid suscipere cupit, rectè fecerit, si re communicatâ cum collegis, aut superioribus, ex illorum consilio id egerit, ut eò minùs calumniæ subjaceat. Sic omnis ejusmodi labor pacem ecclesiæ servabit, & dulcis videbitur exploratio illorum fructuum, qvos à qvotidianis laboribus presbyter in auditoribus expectat. Spiritus S. qvi cum Evangelii ministris operosus est, omni operæ nostræ, qvæ in nomine ejus suscipitur, cœlesti gratiâ benedicet; idem sive publicè sive privatim, sive collegiali sive alio modo cognitionem veritatis, & vitæ sanctitatem promovere studeamus, faxit, ut id omne fiat in honorem DEI & ecclesiæ salutem!

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn788077619/phys_0184
DFG

illa, qvæ objecimus, hác
inde id accidit procul
omnes earundem fere
auctores novi instituti
tiis collabascat, partim
qvi illorum audiendoru
sit, si ex omnibus tande
netur, si juxta proposit
qvotidie corrigenda litu
piis multitudo qvæqve
contra correctorem sen
nondum sunt, facili aut
rum est, non omnes oc
qvamqve rempublicam
hîc de illis qværitur vit
qvod substituere cupiu
mnium scilicet ecclesiar
licentiâ feliciùs evitentur
sperari debeat? Ubi sane
deterius omnia commut
diâ, qvam extraneâ: præs
mi pacatas esse, qvàm ut
tentiarum divortiis conte
laudes locum invenient,
publicè probati auctorita
judicio exurgunt oratores
men corrigitur peccatum
dem malorum tumultus
tis viam ostendunt, compa
non tangere, qvàm cum
tentare.

§. 13. Respondet
argumentum nobis *primum*
sint, qvæ immodestiam &
reor, non majore successu
mnium ingeniorum fiat co

suo loco relictũ sit,
rum cultores sint,
tistæ, & qvi partim
jus fides in ipsis ini-
anorum sectatores,
Qvid vero futurum
li conventus ador-
Cangedultianâ jam
is dissidens princi-
at vel defendat, si
gat, id sanè experti
re. Eqvidem ve-
posse, & optimam
ferre debere; sed
llegiati, & de eo
fidei alienæ, ab o-
; an in Collegiali
elior effectus inde
l emendat, vel in
domesticâ discor-
iis dissidere & do-
r se infinitis sen-
communes DEI
ur? Si presbyteri
sunt, qvi suopte
is est, faciliùs ta-
Non omnis qvi-
vi veram salu-
viorem satius est
emendationem

disputator ad
præscribi pos-
hîc qvidem ve-
liturgiæ, si o-
e possunt, nisi
qvæ

Copyright 4/1999 YxyMaster GmbH www.yxymaster.com
VierFarbSelector Standard* - Euroskala Offset
Focus Balance
Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn788077619/phys_0189
DFG

qvæ collegiatis qværitur libertas rursus limitetur, & tacendi necessitas varia dicentibus vel dicturis imponatur, qvam sola, qvæ nunc ad collegialem libertatem clamat, ratio præsentis ex errore periculi omnem statim eludet, aut ab ejusmodi conditionibus suspendet, unde qvi modestiæ fines sint, difficillimè judicetur. Et qvamvis optimas invenerint Collegiati, in tantâ tamen omnium licentiâ qvæ spes erit illarum servandarum? Qvi enim de veritate thesium suarum judices cum imperio nullos patiuntur, an de modestiæ legibus servatis patientur? an & defendendi qvem facti sui argumenta destituent, materiæ dignitatem, dilationis periculū, causæ meritum, ut scapha scapha appelletur, causantem? Corinthiacæ ecclesiæ procul dubio bonæ leges ab Apostolo latæ erant, totos octodecim menses ibi qvondā hærente, *Act. 18. v. 15.* Sed, paucorum licet, contendentium æmulatio in charismatum ostentatione mox omnes illas perruperat: neq; correctio Apostoli, aut nova rerum restitutio, qvæ juxta promissum ejus *Cap. 11. v. 34.* ibi facta est, impedivit, qvo minùs licentia mox post obitum ejus in seditionem & schisma vergeret, qvam Clemens Romanus epistolâ illuc scriptâ correcturus, presbyterii constitutionem proprium horum tumultuum remedium ab Apostolis datum esse censuit.

§. 14. Ad *secundum argumentum* videtur respondere qvod aliàs circa mores dicit; nempe qvo major in tali collegio est carpendi licentia, eo majore cautione fore ut sibi qvisqve op[illegible]e arbitretur, neqvid temere & sine justo argumentorum ponder[illegible] Etenim hæc ratio qvid posset ad plures, qvi modestè de se [illegible]nt, ab involando docendi officio arcendos, non idiota[illegible] ac pios. Imò cohiberet facilè voces necessarias [illegible]ligunt qvàm qvi loqvuntur, atq; ne crassos e[illegible]dio & impudentissimè oggannientiu[illegible]ita timidi sunt: non omnes ta[illegible]tur & qvantæ absurditati[illegible] tant. Videris hom[illegible] eri putant, & po[illegible] decedunt. [illegible] qvantū fas[illegible] sint, planè o[illegible]ris in aliis oratoribu[illegible]i sibi blandiri, cum non t[illegible]ultitudo sit,



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn788077619/phys_0190
DFG